DIEM NATALEM

AUGUSTISSIMI REGIS

CAROLI JOANNIS

AB

UNIVERSITATE REGIA FREDERICIANA

DIE XXVI JANUARII MDCCCXLI

CELEBRANDUM

INDICIT

COLLEGIUM ACADEMICUM.

De prisca re monetaria Norvegiæ et de numis seculi duodecimi nuper repertis, proludendi causa, scripsit *C. A. Holmboe,* Lingg. Orient. Prof. et Numophyl. Univ. Præf.

Accedunt quinque tabulæ lapidi incisæ.

CHRISTIANIÆ.

Typis expressit Christophorus Gröndahl

MDCCCXLI.

I. DE PRISCA RE MONETARIA NORVEGIÆ.

Præmonenda.

Priscæ rei monetariæ Norvegorum ratio nondum satis explorata est, cujus rei præcipua causa est subsidiorum in hac re inopia; numi enim Norvegiæ antiqvi in omnibus museis semper fuerunt rarissimi, et medii ævi historiographi haud sæpe rei monetariæ faciunt mentionem. Inter opera, in qvibus numi nostri recensiti, descripti et delineati sunt, inprimis nominari merentur:

Museum Regium, seu Catalogus rerum &c. quæ in basilica bibliothecæ . . . . Frederici Quarti Havniæ asservantur, ab *Olig. Jacobæo* descriptus, auctior . . . . illustratus, accur. Johanne Laurentzen, Havniæ, s. a. fol.; et *Beskrivelse over Danske Mynter og Medailler* i den Kongl. Samling. Kjöbenhavn 1791, fol. cum volumine tabul. æri incis.

In qvinqvaginta annis post hoc opus editum elapsis plures vero numi norvegici e terra sunt eruti, in Dania nounulli, multi in Norvegia. Recentioribus enim temporibus ædes aliqvot sacræ e ligno constructæ, vetustate consumtæ, dirutæ sunt, et in earum fundis numi sunt reperti, ex. gr. anno 1824, qvum in parochia Leirdal dicta, in dioecesi Bergensi sita, procella ædem evertisset; anno 1835, quum in parochia Vigöer dicta, ejusdem dioecesis, ædes ob vetustatem diruta esset; a. 1838, quum eandem ob causam ædes parochiarum Hyllestad, Mæl, & Tind dictarum, in dioecesi Christiansandensi sitarum, destructæ essent, et anno 1839, quum ædes parochiæ Gaarder, in dioecesi Aggershusiensi sitæ, destructioni relicta esset. Numorum hisce locis repertorum alii in Urda, et norsk antiquarisk-historisk Tidsskrift, udgivet af Directionen for det Bergenske Musæum, Bergen 1837 & sqv., delineati et descripti sunt, alii in museis publicis et privatis inediti asservantur. Numorum norvegicorum recentiori tempore in Dania repertorum nonnulli in recensionibus numorum venalium descripti sunt, inter qvas Fortegnelse over

G. F. Timms Mynt- og Medaille-Samling, Kjöbenhavn 1831, 8vo, 3 Voll., præcipuum tenet locum.

Multo tamen major copia numorum nostrorum, qvam qvos jam memoravimus, nuper in Norvegia e terra est eruta, et hæc imprimis me ad hanc dissertatiunculam exarandam commovit, in qua, conspectu brevi rei monetariæ Norvegorum in medio ævo præmisso, numos illos describam. Hic conspectus non totum vero medium ævum complectetur, sed aliqvanto infra initium modo seculi decimi quarti progredietur, quin etiam de ratione numorum Erici Magni fil. ejusque successoris silebit, quippe quorum perscrutatio nondum satis perfecta sit instituta, et ipsi in museis tam dissitis asserventur, ut non sine magna difficultate inter se conferri possint; quod idem de numis seculi decimi quarti ceteris valet. Magnæ quidem etiam in notitia numorum antiquiorum lacunæ exstant, sed tot jam in nostro seculo ad eos cognoscendos adjumenta sunt collata, ut conspectum præbere eorum, qvos novimus, et historiæ scrutatoribus et numorum collectoribus utile habuerim.

Hanc qualemcunque dissertatiunculam itaque, indiciis, quæ hic illic dispersa sunt, collectis, in ordinem redactis et comparatis, primas rei nostræ monetariæ lineas ducendi periculum potius quam opus omnibus, quæ exstant, adjumentis superstructum haberi velim. Nec enim mihi, cujus propria studia aliorsum tendunt, omnes numos Norvegiæ veteres, qui in diversis museis norvegicis * et exteris asservantur, inspicere et conferre, nec omnia monumenta literaria, quæ nobis majores reliquerunt, perlegere licuit. Ne tantopere quidem, quam factum est, iis uti potuissem, nisi R. Keyser, historiarum professor doctissimus, quæ est ejus nota benevolentia, multos ex vetustissimis literarum monumentis locos huc facientes mecum communicavisset.

---

* Numophylacia alicujus momenti, quæ in Norvegia exstant, possident universitas regia Christianiæ, societas literaria Nidrosiæ, museum Bergense, museum Arendalense, hon. C. I. Schive, portitoribus præfectus, hodie Christianiæ, brevi Stavangriam migraturus, hon. I. Thue, Lusitaniæ mercatorum negotiis curandis præpositus, Arendaliæ, hon. Mohr, Siciliæ merc. neg. cur. præp. Bergis, et hon. C. Schwach, judex super. ordin. Nidrosiæ.

§ 1. *De ponderibus.*

Apud populum quemque, qui rerum pretia metallis metitur, mos metalli pendendi quam ex eo numos cudendi prior fuit. Hebræorum כִּכָּר, Græcorum Δραχμη, Romanorum *As* primum certi ponderis erat, postea tandem monetæ facta est denominatio. Itidem in Europæ civitatibus recentioribus nomina ponderum *Libra* (*Livre, Pound*) et *Mark* ad certum numorum numerum indicandum transierunt. Si quis itaque monetæ rationem populi cujusdam definire volet, primum ponderis ejusdem rationem perscrutatus sit necesse est.

In Norvegia pondus antiquissimum ita erat constitutum:

1 marca (mörk) = 8 oræ (aurar)
1 ora (eyrir) = 3 örtugæ (örtugar)
1 örtuga = 10 denarii (peningar) *.

Quæ inter hoc pondus antiquum et id, quo hodie utimur, intercesserit ratio, non, quod sciam, ante investigatum est, quam libra bilanx unacum decem ponderibus æneis in sepulcrali tumulo gentili in prædio regionis Ringerige Bråten dicto anno 1825 reperta est. His decem ponderibus unacum quinque aliis, quæ in museo regio Havniensi asservantur, trutina examinatis et cum partibus libræ Colouiensis comparatis, inventum est, oram veterem Norvegorum 7488 Richtpfenninge (quorum 4096 = semuncia Colon.) esse æqualem †. Si itaque ceterorum ponderum antiquorum Norv. cum ponderibus Colon. comparationem instituerimus, inveniemus

---

* In Svecia et Dania örtugæ distributio in denarios non semper eadem fuisse videtur. Cfr. Nordisk Tidsskrift for Oldkyndighed, T. I. p. 401, et Hildebrand, — Upplysningar til Sveriges Mynthistoria, p. 24. In Norvegia nulla distributionis variatio mihi nota est nec veri simile, talem unquam in usu fuisse. Nam distributio, quam attuli, lege, per secula haud mutata, sancita erat. Cfr. Bjarköeretten, cap. LXVII, in Paus, Samling af gamle norske Love.

† Cfr. Nordisk Tidsskrift l. c. Lances unacum decem ponderibus in museo universitatis Norv. asservantur. Non quidem diffitendum est, ponderum fere omnium partes aliquas aerugine erosas esse, quas conjectura restituit; sed ob magnum eorum numerum error alicujus momenti vix committi potuit.

1 marcam vet. Norv. = 14 Loth. 2½ Qvent. p. Col.

1 oram - - = 1 - 3 - 21½ Essch.

1 örtugam - - = : - 2 - 29¼ -

1 peningam - - = : - : - 16½ - s. 15⅜ ass. p. Norv. *.

Hæc eadem ponderis ratio aliquanto post initium seculi decimi sexti mansisse videtur. Nam in literis anno 1500 a rege Frederico primo datis 43 semunciæ ponderis antiqui Norv. idem ac 39 semuncias Colon. pendere dicuntur †. Computatione facta pondus Norv. aliquantum levius quidem, quam supra allatum, erit, sed tam paullo ut hæc diminutio fortuita esse possit, nisi credere mavis, comparationem in literis jam memoratis institutam non omnino accuratam esse. Anno 1541 tandem Christianus tertius præcepit pondus antiquum Norv. in auro et argento appendendo esse abrogandum et ejus loco pondus Coloniense esse recipiendum **.

§ 2. *De usu metallorum vetusto in pretiis rerum solvendis.*

More rerum pretia auro et argento solvendi primum recepto, metallum majores nostri trutina appensum, sicut alii populi in artium infantia, vendenti solvere solebant. Auro in virgam extracto et in annuli simplicis vel pluries circumvoluti formam inflexo (quos annulos *baugr*, pl. *baugar* vocabant) utebantur. Hos vel totos vel partes eorum abscissas vendenti appendebant. Argenti, qvo simili ratione utebantur, formæ erant vel massæ vel annuli vel ornamenta obsoleta, postremo numi peregrini, anglosaxonici imprimis et germanici ††. Numi Samanidici, quorum magna copia in terris circa mare balthicum sitis sæpius eruta est, in Norvegia raro reperiuntur. Aeris in pretiis solvendis vix

---

* Annotandum est, stateram argentariam Norvegiæ hodiernam eandem esse ac Coloniensem, et modo in distributione illius ponderis, quod Qventchen Col. Qvintin Norv. appellatur, differre; Qvent. Col. enim in 68 Eschen s. asses, Qvint. Norv. in 64 asses distribuitur.

† Cfr. Samlinger til det norske Folks og Sprogs Historie, T. VI. p. 25.

** Cfr. Danske Magazin, T. V. p. 251.

†† Magnus talium numorum numerus anno 1836 in Norvegia repertus est, quos scriptiunculis academicis mense Novbr. 1836 et mense Jan. 1837 editis descripsi.

ullus erat usus. Nec toto tempore, de quo hic agimus, ex ære vel auro numi in Norvegia sunt cusi, nisi numos versus finem seculi decimi tertii ex argento, majore æris parte admixta, (*billon* Francogalli vocant) cusos eo referre velis. Alio loco * probare conatus sum, antiquis temporibus (decimo fere seculo p. Chr. n.) auri pretium in Norvegia quam argenti octuplo majus fuisse, neque horum metallorum discrimen aliud fuisse videtur in ceteris Europæ terris eodem tempore †. Vetustissimum, quod Ruding hujus discriminis exemplum in Britannia indagare potuit, docet, regnante Henrico primo (anno 1105) unciam auri novem argenti uncias valuisse, quod auri pretium sensim ita crevit, ut sub finem seculi decimi tertii (anno 1278) decuplo majus quam argenti fieret**; quam rationem inter utriusque metalli pretium in initio seculi decimi quarti in Norvegia intercessisse videmus. Literis enim anno 1328 Asloæ, Norvegiæ urbe, datis, docemur argenti tum unam marcam 8½ marcas denariorum valuisse, et septem oras auri 28 marcas denariorum ††, unde computatione facta exit, oram auri decem oris argenti fere æqualem fuisse.

Ubi vero de auri et argenti pretio est sermo, puritatis (Gehalt, Korn) ratio habeatur necesse est. Quum itaque res diversæ formæ, olim terræ commissas et hodie ex ea erutas, examinemus, longe plerasque ex auro puro factas invenimus, quod idem de argento valet, quin etiam in historiis antiquis (Sögur dicuntur) argenti excocti (brent silfr) sæpissime fit mentio. Quin comparatio itaque inter puri auri et argenti pretium instituta sit, haud dubito. Non tamen silentio prætereundum est, etiam ex electro (i. e. ex auro, cui magna argenti pars est admixta) annulos formæ supra dictæ et ornamenta nonnunquam e terra eruta esse, sed longe rarius, quam res ex auro puro elaboratas.

---

* Samlinger til det norske Folks og Sprogs Historie, T. VI. p. 69 sqv.

† In Svecia saltem Dania et Islandia hanc rationem valuisse videmus; cfr. Vestgöthalagen, Ar P. B. 22 (cod. vet.) s. XXXI (cod. rec.), et gamle Jydske Lov, libr. III, cap. 12. Grágás, Havniæ 1829, 4, P. I, p. 501.

** Ruding, — Annals of the coinage of Great Britain, Vol. I, p. 28.

†† Cfr. Hildebrand, l. c. p. 30.

Quanti majores nostri illud electrum cum auro et argento comparatum æstimaverint, difficile est dijudicatu, nisi omne aut ejusdem mixtionis semper fuisse aut ejusdem cum auro puro pretii æstimatum esse credideris. Quorum si neutrum verum sit, nemo pondere solo examinato rei electreæ justum pretium statuere potuit. Unum solum investigationis in electri nostri compositionem exemplum mihi innotuit. Repertis scilicet anno 1833 in lacu Byglandensi, in dioecesi Norvegiæ Christiansandensi sito, annulis quibusdam aureis et electreis, viri tres, auri et argenti probandi periti, annulos electreos examinarunt et eos e duabus fere auri partibus et tertia argenti (16 Karats) constare invenerunt. Sed sicut Romanorum electrum non semper ejusdem compositionis fuisse videtur *, ita fortasse neque majorum nostrorum electrum omne sibi simile erat. Hac de re vero sententiam certam ferre adhuc nequimus. Num annuli aurei et electrei certa pondera referrent, quod similes in Hibernia reperti fecisse videntur †, dubito.

---

* Plinius, hist. nat. alio loco (XVI, 23) electrum de tribus partibus auri et argenti una factum esse dicit, sed alio (XXXIII, 23): "ubicunque quinta argenti portio est, electrum vocatur."

† Cel. a Donop in ephemeridibus numismaticis Hanoveranibus (Blätter für Münzkunde) Vol. IV. col. 37 sqv. multos annulos aureos argenteos et æreos in Hibernia repertos, a cel. Bethamo, societati regiæ Hibern. ab epistolis, trutina examinatos certa horum metallorum pondera Angl. (Troy Weight) referre narrat, et museorum directores, ubi similes asservantur, ad eorum rationem exponendam invitat. Hanc invitationem secutus, eorum, qvos examinavi, rationem dabo, pondus cujusque partibus libræ et Norvegicæ et Anglicæ Troy Weight app. definitum indicans, in electreis simul pondus auri puri admixti addens, dum omnes electreos ejusdem mixtionis esse statuo.

	pond. Norv.	Troy Weight.	pond. reduct.
1. ex auro puro	11 Lod 3 Qv. 55	As = 2708,0 gr.	= 2708,0 gr.
2. ex aur. p.	11 — 2 — 44	— = 2642,6 —	= 2642,6 —
3. electr.	3 — 1 — 1	— = 736,7 —	= 491,5 —
4. ex aur. p.	3 — - — 2	— = 681,0 —	= 681,0 —
5. electr.	1 — 2 — 60	— = 392,7 —	= 261,8 —
6. el.	1 — - — 22	— = 245,8 —	= 163,9 —
7. el.	1 — - — 3	— = 229,0 —	= 152,7 —
8. el.	- — 2 — 62	— = 168,9 —	= 112,6 —
9. el.	- — 2 — 13	— = 124,7 —	= 83,1 —
10. el.	- — 2 — 11,5	— = 123,4 —	= 82,3 —
11. el.	- — 2 — 10	— = 122,0 —	= 80,8 —

Viginti duobus enim talibus annulis, qui in museo antiquitatum borealium et in numophylacio universitatis nostræ asservantur trutina examinatis nullam inter eos certam ponderis rationem adesse inveni, quanquam non diffitendum est, plurimos (17) esse electreos, et, ut supra dixi, ideo æstimationis difficultatem præbere.

---

12. electr.	- Lod	1 Qv.	19	As	=	73,4 gr.	=	48,9 gr.
13. el.	- —	1 —	18	—	=	72,5 —	=	48,3 —
14. el.	- —	1 —	13,5	—	=	68,5 —	=	45,7 —
15. ex aur. p.	- —	- —	48	—	=	42,4 —	=	42,4 —
16. el.	- —	- —	43	—	=	38,0 —	=	25,3 —
17. el.	- —	- —	41	—	=	36,2 —	=	24,1 —
18. el.	- —	- —	40	—	=	35,4 —	=	23,6 —
19. el.	- —	- —	37	—	=	32,7 —	=	21,8 —
20. el.	- —	- —	36	—	=	31,8 —	=	21,2 —
21. el.	- —	- —	32	—	=	28,3 —	=	18,9 —
22. ex aur. p.	- —	- vix	14	—	=	12,0 —	=	12,0 —

Omnes, si qvos locis 1, 2 & 4 attuli exceperis, in lacu Byglandensi simul sunt reperti. Etiamsi certam inter eos ponderis rationem indagare non potuerim, animadversione tamen dignum censeo, nonnullos eorum pondere fere æquales esse, v. c. N. 1 = 2; N. 9 = 10 = 11; N. 12 = 13; N. 17 = 18; N. 19 = 20; et alios aliis certis partibus esse graviores v. c. N. 3 = 10 × N. 12; N. 12 s. 13 = 2 × N. 17; N. 17 = 2 × N. 22; et tandem levissimum nostrorum levissimo in Hibernia reperto esse pondere æqualem. Quanquam tamen in hac ponderis definitione ab electri pretio trieatem subtraxerim, non tamen difiiteor, me pronum esse ad opinandum, veteres Norvegos id majoris et fortasse auro paris æstimasse. Electri enim raritas inter tot alias res aureas e terra erutas, verisimilem reddit sententiam, hoc non in ipsa nostra terra esse conflatum, sed aliunde per commercium introductum. Si deinde per terras inter mare balticum et mare euxinum sitas vividam in medio ævo mercaturam esse exercitam, et respublicas ad mare euxinum sitas, et gentis Comnenæ imperatores Constantinopoli numis electreis imprimis usos fuisse, (Vide Eckhel, Doctrina numorum veterum, Vol. I, p. XXV) postremo artis metallurgicæ imperitos ex auro, quale natura præbuit, numos signasse, consideraverimus, verisimile fit, electrum ex hisce regionibus in septemtrionem migrasse et paris auro pretii æstimatum fuisse. Electri nativi fodinæ etiam in Transsylvania exstant, ubi hoc metallum ejusdem mixtionis, qua sunt annuli nostri, e duabus auri et una argenti partibus scilicet constans, penes oppidum Nagy-ag dictum e terra effoditur. Cfr. I. G. Krünitz, oeconomisch-technologische Encyklopädie, ed. II. Vol. XIX, p. 294. — Versus orientem quoque in Siberiæ provincia quæ Tomsk dicitur penes urbem Kolyvan dictam hoc metallum hodie e terra effoditur, et ex hac regione medio ævo per mercatores ad mare euxinum facile advehi potuit. In hisce terris aurum jam antiquissimis temporibus repertum esse, vel exinde concludi potest, quod Herodotus, l. IV, cap. 27, χρυσοφύλακας γρύπας ibi habitasse tradit (de situ locorum cfr. Heeren, Ideen über die Politik &c. der alten Welt, Vol. I, p. 286).

Memoratu ceterum dignum est, inter gentes et ætate et loco magnopere dissitas tales annulos aureos primum fere fuisse et esse pretii signum. Gideon cum suis ab Ismaelitis magnam annulorum aureorum copiam prædam reportavit *, et Jobum amici singuli annulo tali donarunt †. Talium imagines etiam in vetustissimis Aegypti monumentis sculptæ adhuc manent **; in Hibernia, Norvegia, Svecia et Dania e terra sæpius tales sunt eruti, et in Abyssinia & Guinea adhuc in usu sunt.

§ 3. *De vetustissima Norvegiæ moneta.*

Qvis Norvegiæ rex primus monetam excuderit, non pro certo quidem scimus, sed veri non est simile, ullum ante *Haquinum Bonum* (a. 938-963) hoc fecisse, et si numus, quem Ramus argumentis haud spernendis innixus ei tribuit ††, vere ab eo est cusus, ars monetæ feriundæ in Norvegia prius, quam in regnis finitimis, Svecia et Dania, exercita fuisse videtur; numos enim horum regnorum nullos vetustiores novimus, quam quos Olaus Skötkonung (993-1024) et Sveno Tveskjæg s. cum barba bifida (991-1014) cudendos curarunt. Etiamsi rationem, cur Ramus Haquino Bono regi potius quam Haquino Malo (comiti regnanti 978-995) hunc numum adscripserit, crucem scilicet, quæ in parte aversa adest, gentili fuisse abominabilem, non probemus, et propter typi cum numis regum Daniæ et Sveciæ nuper dictorum et Ethelredi, Angliæ regis, similitudinem numum illum Haquino Malo assignemus, nihilo tamen secius vetustissimus Scandinaviæ numus habendus esse videtur. Svenonis enim et Olavi Skötkonung numi ejusdem monetarii nomen inscriptum gerunt quod in numo Olavi Tryggveson inest. Numos, quos Haquini successores ediderunt, non novimus nisi unum *Olavi Tryggveson* (995-1000), unum vel

---

* Lib. Jud. c. VIII. v. 24 & 25.

† Job. c. XLII. v. 11.

** Cfr. Hoskins, travels in Ethiopia, London 1835, 4o., p. 331 et tabb. 47 & 49; — et Rosellini, — I monumenti dell' Egitto e della Nubia, Monumenti Civ. Tav. LI, et P. II. T. II. p. 286, ubi his verbis inter alia tabulam explicat: "Stanno sulla lance sinistra cinque anella d'oro, forma alla quale riducevano gli Egiziani questo metallo per servire al commercio, come vedremo per molte esempi."

†† Om nogle gamle Mynter &c. in Det skandinaviske Literaturselskabs Skrifter, Vol. XXI. p. 275 sqv.

duos *Erici Comitis* (1000-1016) unum *Magni Boni*, in Norvegia cusum (1035-1047), et unum *Haraldi Hardráde* s. Severi (1047-1067). Numi hi rarissimi in museis Daniæ et Sueciæ asservantur, nec ullus, quod sciam, in Norvegiæ museis adest. In monumentis historicis, qvæ majores nostri literis mandarunt, monetæ norvegicæ mentionem ante Haraldi hujus ævum non invenimus.

Eum vero historia ejus copiosior, octavo post festum Christi nati die satellitibus argentum distribuisse, narrat, quod *Haraldssláta* i. e. ab Haraldo cusa (moneta) dicebatur et majorem ejus partem æneam fuisse addit *. Hoc additamentum auctoris ignoti conjectura fortasse haberi potest, exinde orta quod mox subjungit, Halldórum quendam regis satellitem, cui argentum non purum (skírt) videbatur, numos humum excussisse. Num Halldóri suspicio justa fuerit, an exinde, quod regem avarum esse cognovit, ororetur, an exinde forsan, quod satellites antea numos peregrinos et argentum non signatum stipendiorum loco accipere soliti fuissent, vix ante dijudicari poterit, quam numorum Haraldi hucusque rarissimorum tot inventi sint, ut ejus monetæ exemplum quoddam examinationi aliquis dederit.

Qui post Haraldum annorum plus quam ducentorum spatio numi in Norvegia cusi sunt, si Sveri regis et Philippi comitis exceperis, omnes fere ad novissima usque tempora ignoti manserunt; ignorabatur saltem, cui seculorum spatio et cui principi adscribendi essent pauci, qui in museis asservabantur. Qui vero ævo recentiori reperti sunt, et imprimis magna eorum copia, quos anno proxime præterlapso terra luci reddidit, et quos infra describam, ad hujus temporis obscuritatem dispellendam multum conferunt. His nimirum examinatis, illis, qui olim jam certo principi assignati sunt, nunc rationibus non semper sat certis quidem, sed veri tamen similibus nixi, plures addere possumus, quos hic ordine chronologico afferam.

---

* "Þat silfr var kallat Haraldssláta, þat var meiri hluti Kopar." Vide Fornmanna Sögur, Vol. VI. Kaupmannahöfn, 1831, p. 243.

Olavus Magni fil. (1103-1116).

Bract. + OLA (litt. reliqv. detritt.) Crux parva, cujus in angulis singulis punctum; p. h. 4 ass.

Similis, inscriptus OVAV . . . sine dubio pro OLAV . . .; p. h. 4 ass.

Uterque in numophylacio Schiviano Christianiæ asservatur.

Sigurdus Magni fil. (1103-1130).

Bract. Literæ inscript. . . . . RD solæ restant. Duæ cruces in stellæ formam conjunctæ; p. h. 4 ass.

In eodem numophyl.

Dimidiæ seculi duodecimi parti priori accensendi sunt etiam numi bracteati, qui caput adversum coronatum lineis rudibus formatum, cui nonnunquam pectus et ad utrumque latus scipio cruciformis additur, et cruces majores, quam quæ infra descriptæ sunt, oculis offerunt. Nam magnitudine et pondere eos, quos jam attuli, æquant, et in magna numorum copia, quæ in prædio Dælie reperta est et numos exeuntis seculi duodecimi vulgares nobis præbet, illorum duo modo exempla valde trita cum fragmentis nonnullis adfuerunt. Hujus temporis numi esse videntur, qui in magno opere numismatico Danico (Beskrivelse &c.) I Cl. N. 2-14 et N. 85-88 delineati sunt.

Sigurdus, Eisteinus et Ingo (1142-1155).

Hisce regnantibus numus infra I, B, N. 4 descriptus cusus esse videtur. Rationem l. c. allatam conferas. Hisce coætanei videntur, qui eodem loco N. 5-7 et postea I, C. f, N. 18-24 recensentur.

Magnus Erlingi fil. (1161-1184).

Qui litt. M & Ω inscripti sunt, I, C. a,, N. 21-31, hujus regis nomen indicare putantur, ita fortasse ut M priores Ω posteriores ejus numos iudicet.

Sverus (1177-1202).

Numorum ejus conspectum infra loco I, A, habes.

Haquinus Sveri fil. (1202-1204).

Qui litt. ħ & H inscripti sunt, I, C, a, N. 15-20 ejus numi esse videntur.

Guttormus (1204).

Pauci, qui lit. G inscriptam habent, I, C. a. N. 13 & 14, huic regi adscribi possunt *.

Ceterorum, qui l. I, C, recensentur, plerique seculo duodecimo exeunti vel primis seculi decimi tertii annis attribuendi sunt.

§ 4. *De jure monetæ feriundæ.*

Hoc jus penes principem solum erat, exceptis duobus temporis spatiis, quibus etiam archiepiscopus Nidrosiensis eodem fruebatur. Haquinus Haquini filius rex Guttormo archiepiscopo hoc jus concessit, & in literis concessionis ne verbo quidem indicat, hunc simili jure antea usum fuisse †. Hoc jus postea Magnus rex, quum Johannem archiepiscopum sibi anno 1277 Tunsbergis reconciliasset, his verbis sanxit: "Item concessit (rex) quod liceat domino archiepiscopo habere unum hominem, qui cudat denarios, prout littera sua super hoc confecta testatur **," et paulo post eodem anno hoc jus ita interpretatus est, ut archiepiscopo concessum esset, tot numos cudere, quot unus vir cum uno adjutore conficere posset, et quidem ejusdem soliditatis (stinleika), ponderis et puritatis ac regis moneta esset ††. Rege Magno haud diu postea mortuo et Erico filio ejus nondum sui juris facto, summi regni administratores archiepiscopum jure monetæ anno 1281 privarunt ***. Ab hoc tempore per duo sæcula hujus juris ab archiepiscopo usurpati nulla fit mentio, quamquam in literis pluribus cetera hujus clerici jura

---

* Quanquam hic numos varios certis principibus adscripserim, plerosque eorum tamen in descriptione infra allata inter incertos retuli, quippe qui definitionem meam potius conjecturam, quam rem certam haberi velim.

† Vide Thorkelini Diplomatarium Arna-Magnæanum, T. II. p. 20, sub anno 1220. Si literæ, Eisteinum archiepiscopum cum Magno Erlingi filio rege reconciliantes, quas idem Thorkelin l. c. p. 8 affert, genuinæ sunt, exinde quod inter jura posteriori consessa juris monetæ non fit mentio, concludi potest, eum hoc jure non esse usum.

** Ibidem p. 71.

†† Ibid. p. 78.

*** Vide literas Jörundi archiep. anno 1290 datas, apud Thorkelinum l. c. p. 124 & sqv.

recensentur, quin etiam in literis de successione regia et regni administratione, quas Haquinus Magni fil. anno 1302 Asloæ dedit, jus monetæ, si opus esset, immutandæ, ætate regis nondum plena, solis regni administratoribus, nulla archiepiscopi mentione facta, conceditur *. Christianus primus tandem in concilio Skarensi anno 1458 habito clericis eadem jura, quæ in reconciliatione Tunsbergensi supra memorata iis concessa erant, reddidit, et rursus archiepiscopi hoc jure fruebantur, donec reformatione sacrorum imperata ultimus Norvegiæ archiepiscopus regnum reliquit. Quum itaque jus monetæ non ante annum 1220 huic clerico concessum fuisse videatur, mirum est, in numis infra descriptis, qui ante hoc tempus terræ commissi videntur, esse quosdam, qui pedum episcopale ob oculos sistunt (I, C. F. N. 2-5,) et qui suspicionem ideo movent, archiepiscopum ante jus sibi concessum, rege invito idem sibi arrogasse, et hæc suspicio in imperiosum Eisteinum facile cadit.

§ 5. *De argenti puritate.*

Argento, ex quo majores nostri ad medium fere seculum decimum tertium numos cudebant, parum modo æris erat admixtum †. Multos numos a viro hujus rei perito examinari jussi, qui argenti conditionem nec in omnibus similem nec valde dissimilem invenit; in plerisque, ut infra videbitur, æris partem argento admixtam non majorem quam octavam et non minorem quam decimam sextam esse invenit. Ex hisce periculis justa mixtionis regula quidem non eruitur, sed opinio oritur, regulam fuisse eandem atque eam, quæ eodem tempore in Anglia valuit et inter mixtiones in nostris numis examinatas medium fere tenet. Hæc regula, Rudingio teste ** præcepit, CXI partibus argenti IX partes æris esse admiscendas. Ubi ab hac regula disceditur, quod interdum fit, hoc artis infantiæ facile adscribi potest. Argenti vero conditionem, regnante Magno

---

* Erfda ok Rikis Stjorn sive Successio Regia et Regni Administratio — ed. G. I. Thorkelin, Hafniæ 1777, 8o. p. 23-25.

† Moneta Haraldi Hardráde, ut supra dixi, fortasse excipienda est.

** Annals, vol. I. p. 16.

Haquini filio, in pejus versam esse, e literis ab Haquino ejus filio Hamare anno 1293 datis docemur. Verba ejus enim hæc sunt: "Monetam vero, quam parum valere dixistis, Deo et omnibus bonis viris notum est æque bonam esse ac quando diebus patris nostri optima erat; maximo etiam detrimento nobis fratribus (Erico regi et Haquino duci) est, eam parum valere; nos enim plurimos numos accipimus. Quando Deus nobis ut conveniamus concesserit, virorum optimorum consilio et ope rationem reperiemus, quomodo argenti pretium (sylfr gangren) utile et ambobus nobis fratribus et omnibus regni incolis constituatur *."

Si cum hisce verbis monetam horum fratrum pravam comparamus, eam jam patre eorum regnante in pejus mutatam fuisse apparet, etiamsi quæ dicuntur non ad verbum esse intelligenda censeamus.

Argentum non signatum, quo in pretiis solvendis utebantur, purum s. coctum (*brent silfr*) vel saltem bonæ conditionis et album (*silfr hvitt i skör*, i. e. argentum incisura album) † fuisse videtur.

§ 6. *De numorum forma.*

A rei monetariæ initio in Norvegia sub finem usque seculi decimi tertii saltem, si non diutius **, numus denarii (pening'ens) — quæ monetæ species eo tempore in Europa vulgaris fuit — pretium excedens nullus cudebatur ††. Forma typorum utrique numi

---

* Thorkelin Diplom. A. M. II. p. 264.

† Ut argenti conditionem obtutu dijudicarent, acie cultri id incidere solebant.

** Num maximus Erici jam memorati numus majoris sit pretii, nondum examinatum est; prava vero argenti conditio prohibere videtur, quo minus hoc pretium excedere censeatur.

†† In versione historiarum regum antiquorum Norvegiæ novissima (Snorre Sturlesons Norske Kongers Sagaer, oversatte af I. Aal. Christiania 1839; Vol. 3. p. 37.) orarum quidem argenti signatarum mentio exstat, sed hic error est, non viro venerabili, qui versionem confecit, sed lectioni pravæ vel saltem ambiguæ in textu originali adscribendus. Silfrmerktr eyrir, quod textus habet, nulla verbis vi allata ita, ut memoravimus, verti possunt, sed etiam oram argenti signati i. e. denariorum argenteorum significare possunt. In codice alio legitur silfrmerktir peningar, quod eundem sensum exprimit.

parti impressorum Angliæ exempla magnopere imitabatur, non tamen sine parvis immutationibus. Pars altera itaque regis protomen (vel caput) et appellationem et nomen, altera crucem et monetarii et urbis, vel alterutrius modo, nomen latine scriptum vulgo præbebat. Præter hos numos vero cum typis utrique parti impressis, ab initio fere seculi duodecimi magna numorum parvorum tenuium et cavorum (*bracteati* appellantur) copia in Norvegia signata est. Tales bracteatos in Scandinavia prius quam in Germania in usu fuisse, error est exinde ortus, quod Bircherod* et Brenner† multos Danorum et Svecorum bracteatos vitiose definiverint; quorum error ad numismaticos francogallicos et germanicos** dimanavit; et quanquam Ramus jam anno 1803 sententiam de origine horum numorum antea latam falsam esse demonstravit††, Germaniæ numismaticos quosdam hunc errorem adhuc amplecti videmus***. Cel. Ramus bracteatorum Dan. et Sv., quos seculis decimo et undecimo addixerunt viri supra dicti, alios omni signo, unde ætatem pro certo definire liceat, carere, alios seculo duodecimo esse assignandos, nullumque hucusque bracteatum Dan. vel Svec. apparuisse, quem ante mediam fere hujus seculi partem cusum esse constet, argumentis sane probabilibus demonstravit. Germani autem jam seculo undecimo talibus numis utebantur. Vix dubitandum itaque, eorum usum e Germania septentrionem petiisse et non vice versa†††.

---

* Specimen antiquæ rei monetariæ Danorum, Hafniæ, 1701. 4o.

† Thesaurus numorum Sveo-Gothicorum, Holmiæ, 1731. 4o.

** I. D. Schoepflin, Dissertation sur les bractéates, in Mémoires de l' Acad. d. Inscr. et des belles lettres. T. XXIII. p. 212 & sqv. — v. Ludewig, Einleitung zu dem deutschen Münzwesen mittlerer Zeiten. Ulm. 1752. p. 69.

†† Om Bracteaterne og i Besynderlighed om deres foregivne Oprindelse fra Norden, — in Skandinavisk Museum, Havniæ 1803, Vol. I.

*** Götz Kaisermünzen, p. 76. Rami dissertatio scilicet in lingua, extra Scandinaviam parum nota, est exarata.

††† Hic sermo non est de bracteatis aureis, qui e sepulcris vetustissimis nonnunquam eruuntur; hi enim non numi, sed amuleta et ornamenta fuisse videntur. In dissertatiuncula de numis MD medii ævi, quam anno 1836 ad solennia univ. invitans programmatis loco edidi, p. 20, N. 16, inter numos seculi undecimi ineuntis numum attuli, quem bracteatum appellavi; eum vero denuo examinans crassiorem esse invenio quam qui bracteatus appellari possit; potius malleatoris oscitantia, qui duas laminas simul cuneo supposuerit, factus est censendus.

Bracteatorum magnitudo, quo magis versus septentrionem sunt cusi, eo magis decrevisse videtur; ut danici nimirum germanicis sunt minores, ita svecici et norvegici magnam partem danicis sunt minores. Typus eorum in Norvegia valde multifarius erat, nec descriptione eget, quum tabulæ huic dissertatiunculæ annexæ multos variorum typos ob oculos sistant.

§ 7. *De monetæ pondere et valore.*

Haquini Mali (vel Boni) monetæ tria exempla cel. Ramus trutina examinavit, eorumque pondera 38¼, 39½ et 48 Eschen stat. colon., 36½, 37 et 45 asses stat. norv. æquantia, invenit, quod pondus nec sibi constat, nec cum pondere monetæ Anglicæ coævæ (cujus exemplum singulum 26 asses fere pondo est) nec cum systemate stateræ norvegicæ tunc temporis usitatæ convenit. Solum, quod unquam innotuit, Olavi Tryggvi fil. monetæ exemplum seculo proxime exacto vir quidam in Svecia possessit, sed perditum est, nec pondus ejus, quantum novi, examinatum. Numus Erici comitis 26 Esch. col. s. 24½ ass. norv. pondus habet. Moneta Magni Boni norvegica haud dubie cum danica ipsius moneta, quæ Canuti monetam pondere æquat, convenit. Propter hasce ponderis in numis priscis vicissitudines, eorumque raritatem, cel. Ramus conjicit, eorum numerum modo parvum esse cusum, regesque eos, non necessitate coactos, quum numorum peregrinorum satis adesset, sed ut aliorum principum exemplo imagines suas in numis apparentes videntes vanitati satisfacerent, signandos curasse. Quum ceterum in pecunia solvenda libra bilanci semper uterentur, quanti ponderis singuli numi essent, nullius fere momenti erat.

Canutus rex in Angliam transvectus, monetæ systema invenit, secundum quod e libra s. duodecim unciis argenti 240 denarii conficiebantur, et quum Marca, quam ponderis regulam e Dania attulit, octo tantum oris s. unciis * constaret, besse itaque minor quam

---

* "The Mark was a Danish mode of computation" — Ruding, Annals of the coinage of Great Britain, Vol. I. p. 307. Oram Danicam et unciam Anglicam, in pecuniæ saltem computatione, æquales æstimatas fuisse, cel. Ruding pluribus exemplis confirmat, locos scilicet veterum diplomatum citans, ubi

libra anglica esset, rex, sive systema anglicum imitatus e sua marca numerum denariorum æqualem signare constituerit, sive Dani marcam jam in 240 pondera minora distribuere soliti essent, numos suos quam antecessoris in Anglia besse minores confecit *. Quum itaque Magni Boni numi danici et ceterorum Canuti in Dania et Anglia successorum numi hujus regis numos pondere fere æquent, nos jure nostro concludere videmur, Haraldum Hardráde vel idem systema imitatum esse vel tanto fortasse leviores cudisse numos, quanto marca norvegica quam danica esset levior †.

Quamdiu moneta pondus plenum servaverit, non pro certo quidem ante constituere poterimus, quam major vetustissimorum numorum numerus repertus fuerit. Veri tamen haud dissimile est, pondus fere justum adhuc seculo duodecimo ineunte servatum fuisse. Bracteati enim Olavi et Sigurdi filiorum Magni (p. 12), qui 4 ass. p. sunt, quartæ denarii partes esse videntur, qui itaque totus 16 ass., sive, æris admixti pondere deducto, circiter 15 ass. p. habebat. Numi, qui l. c. sequuntur, paulo leviores sunt, et ita facilem ad Sveri tempora transitum parant, quo regnante marca numerata (s. 240 denarii) non

---

ora danica 20 denarios æquare dicitur, sicuti uncia Angl. 20 denariorum pondus (pennyweights) æquabat. In mulctis solvendis in Anglia adhuc marca 13 sh. 4 d. s. ½ pound Sterling valet. Luxdorphius quidem, — Anledning og Veiviisning til Myntens Beregning, Kjöbenhavn 1765. 4o. p. 25 — auctoribus quibusdam anglicis fisus, quatuor uncias angl. quinque oris danicis, quando ora in Angliam introducta est, æquales fuisse asserit, sed metuo, ne et ipse et viri, ad quos ablegat, oram ponderatam cum ora (denariorum) numerata confuderint. Argumento e Scandinavia magis vetusto carens, e literis Magni Erici fil. anno 1328 Asloæ datis (in Hildebrand — Upplysningar til Sveriges Mynthistoria, p. 29 sqv. —) argumentum promere licet; in his enim finem versus 320 marchæ 5 oræ argenti ponderatæ pro 1603 marchis numeratis cum una ora (mon. svec.), et 67 libræ 14 solidi et tres denarii sterlingorum pro 500 marchis et 6 oris cum dimidia et 6 denariis svecicanis (sic) computati sunt. Comparatione instituta, 1 libr. sterl. = 1½ marc. svec. esse inveniemus.

* Æthelredi mone a 26 fere ass. norv. p. habet, = $\frac{1}{214}$ libr. Tower weight, Canuti 17 vel 18 ass. plus minus. Marcam, ducentis saltem post Canuti tempora, in Dania, sicut in Norvegia in 240 denarios distributam esse, e versione latina legis Scanicæ, ab Andrea Sunonis f. confecta, docemur; in hac enim oræ penningæ (oram denariorum) per triginta denarios reddit. V. Leges provinciales terræ Scaniæ, latine redditæ per Andream Sunonis f. Ed. Arn. Huitfeldio; Hafniæ 1590, 4o. lib. V, cap. 34.

† Pondus danicum jam tunc temporis coloniensi fuisse æquale videtur, sicut hoc vetus anglicum (Tower weight) æquabat. Denarius enim Canuti, $\frac{1}{240}$ marcæ colon. proxime æquat.

plus quam dimidia fere marca ponderata valebat; denarios ejus enim 8 tantum assium pondus habere infra videbitur. Denarii valor porro ita decrescere perrexit, ut Erico Magni filio regnante marca numerata tertiam marcæ ponderatæ partem valore non excederet *, et paulo post in initio seculi decimi quarti in nonnullis locis minus etiam valeret †.

Numi leviores, quibus una cum denariis in commercio utebantur, certæ denarii partes fuisse videntur. Qualis vero inter hunc et illos fuerit ratio, nemo, quod sciam, hucusque investigavit. Hanc ut invenirem, omnes numos bracteatos norvegicos, qui in Dælie reperti sunt et quorum descriptio infra sequitur, omnes igitur, quorum exempla

---

* Anno 1288 Magnilda quædam Halkeli filia prædia in regione Sogn dicta abbati et monacis claustri Munkalif pro 45 marcis denariorum norveg. vendidit, et in literis hac de re datis: "gengo þa, inquit, þriar merker fire mörk brenda" i. e. tunc tres marcæ (den. norv.) unam marcam excocti (argenti) æquabant. Idem in literis anno 1290 de eadem re datis repetitur. Cfr. Thorkelin, Diplomat. V. II. p. 113 et 118.

† In literis Magni Erici fil., anno 1328 Asloæ datis, quas nuper allegavi, denarii valorem in diversis Norvegiæ dioecesibus varium fuisse videmus; in dioec. Hamarensi marca argenti ponderata 3 marcas denar., in d. Nidrosiensi 3¼ m. d. et in d. Bergensi 3½ m. d. æquare dicitur. Denarii valorem in Svecia eadem ratione decrevisse cum ex vicinia concludere licet, tum auctores Svecici asserunt. Stjernhöök, — de jure Sueonum et Gothorum vetusto, Holmiæ 1672, 4o. p. 142 — "A tempore, inqvit, Divi Erici Regis ad initium imperii Jarleorum, id est, ab anno circiter 1160 ad annum 1250, marca pondere duplo minor fuisse videtur selibri . . . .", et paulo infra: "Tempore regis Magni Ladulasii, Anno 1260 et paulo post marca besse minor erat selibri; sexcentæ enim marcæ vulgares æstimatæ fuerunt ducentis selibribus, teste Olao Petri, et id ipsum etiam colligi potest ex legibus Scanicis, ubi tres marcæ unam argenti puri constituere dicuntur . . . ."; et p. 143: "Tempore R. Magni Smekii, Anno 1350 jam marca selibris plus quadruplo melior erat vulgari; ita enim lege constitutum fuit, ut quicunque negotiarentur in exteris, juxta singulas pretii quadraginta marcarum merces, etiam unam selibrem argenti puri importarent, reciperentque pro ea marcas vulgares quatuor cum dimidia". A fine seculi decimi tertii denariorum valor in Svecia citius quam in Norvegia decrevit. In literis Magni Erici fil. nuper allegatis, in nonnullis Sveciæ provinciis marca arg. pond. quinque marcas denariorum valuisse eodem tempore, quo in Norvegia tres parum excedebat, videmus. Hoc verbis Stjernhööki supra allatis quadrare non videtur; ipse vero paulo infra, p. 144 valorem denarii jam tum minorem fuisse quam rex jussisset, indicat, hæc verba addens: "Non diffitendum tamen est, quod marca selibris paulo post, etiam Anno 1360, pluris valuerit, id est sex marcis, ut patet ex contractibus ejus temporis." Comparationes uberiores instituit P. Dijkman, — dhe forna Swenskars og Göthers Penninge-Räkning, Stockholm 1686, 8o. — XI Observation.

integra sunt, trutina examinavi, imo vero de multis decem vel centum exempla pependi, ut pondus medium certius constituerem; argenti quoque conditionem multorum a Clausen, argento et auro Christianiæ probando præfecto, examinari jussi. E conspectu infra dato plerosque unum assem norvegicum plus minus pondo esse et argenti conditionem in plerisque fere similem esse videbis. Comparato cum his Sveri denario octo assium pondus habente, pronus eris ad credendum, parvulos hosce numos octavas denarii partes esse, et hæc opinio valde verisimilis est; nam denarium in binas et quaternas partes secare jam diu soliti erant majores nostri*; quum igitur eum in partes adhuc minores distribuere constituissent, nihil simplicius videri poterat, quam quartam denarii partem dimidiare. Multos a ponderis regula discessus vel artis infantiæ vel diversæ ætati ita adscribere possumus, ut graviores vetustiores habeantur. Qui duorum assium pondus habent, quartæ denarii partes, et graviores, ex pondere $\frac{1}{2}$ vel $\frac{3}{4}$ den. fuisse videntur.

Hæc opinio etiam, comparatione cum re monetaria Anglorum ejusdem ævi instituta, confirmatur. Bracteatis quidem Angli non utebantur, sed denarium in binas, quaternas et octonas partes distribuebant. Cel. Ruding enim in appendice, operi suo annexa, monetæ appellationes, quæ in Domesdaybook (opere conspectum prædiorum in Anglia seculo undecimo præbente) occurrunt, recenset. Præter denarium ibi *dimidium denarii s. obolus* (= $\frac{1}{2}$ pening) *ferdinc, ferdingus, feordingus* (= $\frac{1}{4}$ pening, farthing) et postremo *minuta* leguntur; quam ultimam appellationem R. idem ac *styca*, quæ in aliis ejus temporis operibus literariis legitur, significare censet†; et huic appellationi versio Evangeliorum anglosaxonica lucem affundit, in Marci evang. c. XII, v. 42, λεπτὰ δύο ὅ ἐστι κοδράντης reddens: "tvegen stycas, th is feordung peninges" i. e. duas stycas, quæ sunt quarta denarii pars s. quadrans; una styca igitur octava erit denarii pars.

---

* Denarium in trientes distribuendi, more nonnullorum populorum coævorum, exemplum in Norvegia non novi.

† Vol. I, p. 303.

§ 8. *De monetæ appellationibus.*

Majores nostri, sicut plures aliæ gentes, pecuniæ appellationem a pecude petierunt. *Fe* scilicet et pecudem et pecuniam significat, et *peningr* non solum singuli numi, sed etiam monetæ est appellatio, et in Norvegia quondam, sicut hodie in Islandia, sine dubio etiam pecudem indicabat. Hæc apud hujus ævi scriptores monetæ est appellatio maxime vulgaris; nonnunquam etiam *eyrir*, ab *eyr* (æs) derivatum, appellatur, et in lege Magni Haquini fil. Gulensi* moneta *steðja* (proprie incus, deinde officina, fortasse etiam cuneus) dicitur. Ineunte tandem seculo decimo quarto vel paulo maturius vocabulum *Mynt* civitatis jure in lingua norvegica donatum est; in legibus et literis Haquini Magni fil. et successorum enim legitur.

Quo vero nomine numi cavi s. bracteati a majoribus nostris appellarentur, pro certo statuere nequeo; verisimilem tamen hac de re conjecturam non possum non proponere. R. Keyser, historiæ professor doctissimus, ad rei vilis appellationem, quæ in legibus Norvegiæ vetustis nonnunquam occurrit, animum meum advertit, addens, e contextibus locorum, ubi exstat, concludi posse, parvum numulum eo significari. Vocabulum est *tveite*, quod legitur ex. gr. in legis Frostensis (Frostethingslovens) vetustioris partis XVtæ cap. 37mo, ubi sermo est de pœnis furti. Diversi ibi pœnæ gradus secundum rei surreptæ pretium constituuntur, et post pœnam, si res surrepta örtugæ pretii est, sermo est de pœna, quæ irrogatur, si res surrepta *tveite* pretio æquat, cujus rei nulla alia pœna statuitur, quam ut cuivis furem *Hvinn* (i. e. furunculum) appellare liceat. Huc si addimus, Batavos (quorum lingua ejusdem cum norvegica est originis) numum suum minimum, qui octava pars est numi ordine proximi (stuiver), *duit* appellare, pronum est ad conjiciendum, bracteatos norvegicos minimos *tveite* fuisse appellatos †.

Nullam itaque singulorum numorum appellationem præter *pening* (denarium) et

---

* Manhelge-Balken, cap. IV.

† In lege Islandiæ vetere, Grágás dicta, lib. VIII, cap. 114, etiam tveitarum talis fit mentio, ut oram 48 tveitis saltem plus valuisse appareat. Cfr. Grágás, Havniæ 1829, 4o, P. II, p. 171 sqv.

tveite novimus. Ubi vero de certo numorum numero sermo erat, iisdem vocabulis, quibus pondera insigniebant, ita utebantur, ut *örtug* 10, ora (*eyrir*) 30, et marca (*mörk*) 240 denarios (*peningar*) significaret. Observandum etiam, utrum sermo sit de marca vel ora numerata (*talin*) an ponderata (*vegin*) *. In priore dijudicanda semper temporis ratio est habenda. In initio enim marca numerata ponderatam æquabat, quæ ratio ad initium fere seculi duodecimi durasse videtur, et utraque tantum fere argenti, quantum hodie octo thal. Species Norveg., continebat; sub finem vero ejusdem seculi marca num. vix quatuor Spec. Norv. æquabat, et sub finem seculi decimi tertii $2\frac{1}{4}$ fere Spec. Norv. erat æqualis †.

Tertia tandem est ora, quæ *sak-eyrir s. lög-eyrir* (ora causæ s. legis) dicitur, qua in mulctis solvendis utebantur, et quæ sex panni grossi (Vadmál) ulnarum æstimatur **.

Silfrmétin eyrir (ora argenti mensurata), cujus nonnunquam fit mentio, eadem ac ora numerata erat ††.

Vocabulum *Skilling*, quod in hujus ævi scriptis norv. raro legitur, nec numi norvegici speciem nec certum numorum numerum, sed monetam in universum indicare videtur. Numi aurei peregrini *Gullskillingar* (solidi aurei) appellabantur ***.

§ 9. *De officinis monetariis.*

Quum prisca monetæ signandæ ratio simplex, lamellæ cuneum imponendi, malleoque feriundi, instrumenta monetalia facile parandi commoditatem præberet, officinæ monetariæ

---

* Apud scriptores medii ævi latine scribentes prior dicitur ad numerum, de numero, posterior ad pondus, ad pensum et arsuram, cum pondere et arsione, ad ignem et pensam.

† $9\frac{1}{4}$ Spec. Norv. ex octo unciis argenti puri signantur.

** Cfr. historiam Magni Erlingi fil. cap. XVI ibique annotationem in editione Havniensi.

†† Cfr. locum jam citatum cum cap. CXII in Sveri historia; item legem Frostensem veterem, ubi P. IV, cap. 13 quinque oræ mensur. (aurar silfrmetnir) idem ac $2\frac{1}{2}$ oræ ponderatæ valere dicuntur; quæ comparatio in edit. Pausii desideratur; cfr. ibid. etiam P. 12, cap. 13 (ed. Paus.)

*** Skilling occurrit in Edda, ed. Rask, Hamars Heimt, str. 34, et in historia Olavi Sancti (rec. Snorro Sturl. fil.) cap. XVI, sive Fornmanna Sögur, Vol. IV. p. 55. Scill. s. Scilling apud Anglosaxones jam sexto seculo numorum certo numero indicando inserviebat, sicuti solidus, qua voce latina redditur, in magna Europæ parte jam a decimo inde seculo duodecim denariorum summam indicabat.

olim longe plures quam hodie in Norvegia, sicut in ceteris terris, erant. Haraldi Severi et Sveri numi hucusque noti *Nidrosiæ* sunt cusi, nec ante magnam numorum copiam nuper repertam, quæ infra describetur, ullum in alia Norvegiæ urbe ante Erici Magni fil. tempora cusum numum novimus, Hæc vero copia jam sub finem seculi duodecimi numos aliis locis in Norvegia cusos esse docet; numum enim præbet *Bergis* cusum et alios, quos non sine veri similitudine *Asloæ*, *Veejis* (Veejar, Vedöe, urbe quondam in provincia Romsdalen sita), *Burgi* (s. Sarpsburgi, urbe quondam in provincia Smaalehnene sita jam denuo extruenda), *Tunsbergis*, et *Stavangriæ* cusos esse opinemur.

§ 10. *De monetariis.*

Sicut prisca Scandinaviæ moneta ad anglicæ instar signabatur, etiam monetarios ex Anglia primum arcessisse videntur majores nostri. *Godvine* saltem (nomen anglosaxonicum) seculo decimo exeunte et Norvegiæ et Sveciæ et Daniæ regibus numos cudit, et Ulf, Haraldi Severi monetarius, præpositionem anglicam *on* numo norvegico inseruit. Quum vero numi vetustissimi sint rarissimi, et Sveri tempore nomen monetarii in moneta non amplius additur, pauca solum hæc monetariorum nomina afferre possumus.

Referen, monetarius Haquini Mali, (vel Boni),
Godvine, — Olavi Tryggvi fil.,
Hroza, — Erici comitis,
Jule, — Magni Boni,
Ulf, — Haraldi Severi.

§ 11. *De monetæ adulterationis remediis.*

Monetæ adulteratio ubique et semper inter maxima crimina relata est. Leges anglosaxonicæ vetustæ, adulteratori manum, qua crimen commisisset, amputandam esse præcipiunt *, cui pœnæ reges anglonormannici obcæcationem et castrationem addiderunt.

---

* Ruding, Ann. V. I. p. 214, ubi ad leges anglosax. pp. 59 et 134 ablegatur.

Canutum Magnum, qui antecessorum leges contra monetæ adulteratores in Anglia sanxit, addens, reo pœnam nec auro nec argento redimere licere *, in Norvegia, cujus etiam rex erat, non similem legem, quod sciamus, tulisse, non valde mirandum est, quum meminerimus, tum legem illam præcipue ob magnum monetariorum numerum, qui in Anglia eo tempore fuerunt, quo in Norvegia vix ulla monetæ officina exstiterit, latam esse, tum Canutum hujus regni, quod alii ejus nomine administrarunt, per breve tantum temporis spatium regem fuisse. Mirum potius videtur, tale præceptum ducentos adhuc annos post monetam in Norvegia cusam in vetustis hujus regni legibus desiderari. Magnus Haquini fil. (Legifer dictus) tandem in lege comitiorum Gulensium (Gulethingsloven) monetæ adulterationem inter crimina, mulctis non expianda (Ubotesmál) retulit †.

---

* Ibid p. 287.

† Cfr. Paus, Samling af norske Love, Gulethingsloven, Manhelgebalkes, Cap. IV..

II. DE QUINQUE FERE MILLIBUS NUMORUM SECULI DUODECIMI, IN NORVEGIA NUPER REPERTIS.

Anni MDCCCXL mense Majo Andreas Andreæ filius (Anders Andersen) in parte inculta prædii sui Dælie dicti in parochia Næss in provincia Hedemarken siti lapidum acervum avecturus, magnam numorum argenteorum copiam, pauca ornamenta ejusdem metalli, et nonnullas rudes massas argenti repperit, quæ omnia nullis indiciis reliquis receptaculi, quo olim fortasse contenta erant, inter lapides sparsa jacebant. Quæ quum repperisset, circa 49 uncias pondo, magistratui tradidit, et universitati nostræ postea numos, 37½ uncias pondo, et ornamenta, 1¼ unc. pondo, vendidit, argento rudi recepto.

Numi prope quinque millia erant, quorum longe plurimi parvi bracteati Norvegici maximam partem antea incogniti. Numi aliquot peregrini etiam intererant, quorum alii antea ignoti alii noti, quibus omnibus inter se comparatis et horum et illorum multis justum locum assignare valemus.

Numos notos et indubitatos hoc loco repertos hi principes cudendos curarunt:

Norvegiæ rex, Sverus, inter annos . . . . . 1177 et 1202,
Daniæ rex, Sveno Grathe . . . . . 1147 - 1187,
Angliæ rex, Stephanus . . . . . 1135 - 1154,
. . . . . Henricus II . . . . . 1154 - 1189,
Scotiæ rex, Guilielmus I Leo . . . . . 1165 - 1213,
Coloniæ archiepiscopus, Philippus I, ... 1167 - 1191,

quibus addere possumus

Sveciæ regem, Canutum Erici filium . . . . . 1168 - 1197,

quanquam numi ejus hic reperti non antea noti sunt; tam parum vero antea notis sunt dissimiles, ut dubium de auctore oriri nequeat.

Videmus itaque hanc pecuniæ copiam non ante annum 1177 terræ commissam esse posse, et e numis sub finem seculi duodecimi in Norvegia usitatis constare. Terminum vero, ante quem in terra depositi esse non possint, ita nobis definientibus non eadem est facultas termini, post quem hoc factum esse nequeat, statuendi. E conspectu supra dato, hoc vel sub finem seculi duodecimi vel seculo decimo tertio ineunte factum esse facile conjicimus, sed definitio accuratior ad tempus singulorum numorum constituendum non parvi est momenti. Insunt numi, quos numismatici nonnulli Friderico II, Germaniæ imperatori (regi 1212 imp. 1220-1250) et Henrico III, Angliæ regi (1216-1272) adscribunt, quod si recte factum est, conjectura ultra annum 1220 progrediatur necesse est. E recensione numorum subnexa autem illos conjecturis modo nixos ita statuisse apparebit. Quare illa definitio non prohibet, quo minus numos prius depositos esse censeamus, si talis sententiæ graves adsint rationes; et ratio satis gravis est, in tanta numorum copia ne unum quidem Valdemari II Daniæ regis (1202-1242) numum adesse. Huic enim regi multæ res cum Norvegia erant, et ipse anni 1204 æstate cum classe et exercitu in Norvegia aderat. Illo ævo itaque, quo numis peregrinis simul cum domesticis utebantur, numos hujus regis in pecuniæ summa, quæ, postquam hi in communi usu esse incepissent, collecta esset, et multos regionum remotiorum numos contineret, desiderari satis mirum esset. Valdemari II numi præterea non sunt rari et in Norvegia sæpius e terra eruti sunt. Quare numos nostros non post primos Valdemari regis annos terræ commissos esse arbitror, et si bracteatos litera G insignitos Guttormo regi esse adscribendos recte conjecerim (pag. 12) anno 1204 vel 1205 occultati esse possunt; nullus enim numus adest, qui Ingio Bárdi filio adscribi posse videatur, multi vero quorum reges proxime superiores auctores esse verisimile est. Ipsius anni definitionem autem tanquam conjecturam modo affero; sed numos non post primos seculi decimi tertii annos, et non tam sero quam anno 1220 terra condita esse, fere certum habeo. Quomodo hac sententia nisus numis singulis locum assignaverim, ex sequentibus apparebit.

Numorum repertorum et typorum diversorum catalogum descriptioni præmittam.

	Numerus numorum	Numerus diversorum inscriptionum et typorum	antea ineditorum
I. Norvegici	circa 4500	180	150,
II. Svecici	70	4	4,
III. Danici	7 & fragm.	8	2,
IV. Scandinavici incerti	14	10	5,
V. Scoticus	1	1	0,
VI. Anglici	9	5	0,
VII. Germanici imperatorii	119	9	7,
VIII. Batavici	5	3	3,
IX. Saxonici	11	11	9,
X. Principum ecclesiasticorum:			
Bremenses	2	1	1,
Colonienses	100	10	0,
Magadeburgici	15	6	5,
Monasteriensis	1	1	1,
Paderbornici	2	1	1,
Quedlinburgici	6	1	1,
locorum incertorum	33	20	18,
XI. Incerti	71	47	45.

Fieri tamen potest, ut numorum germanicorum nonnulli, qui hic inediti habentur, in operibus, qui nostra in urbe desiderantur, jam editi sint, ex. gr. in cel. Maderi kritische Beyträge zur Münzkunde des Mittelalters (quorum Vol. I solum hic adest), ejusdem Versuche über die Bracteaten, aliis.

I. Numi Norvegici.

A. Sverus (1177-1202).

1. Adv. + RGX SVGRVS MAGNVS. Caput adversum coronatum, cum barba. Av. NI. Tab. I. N. 1. NI. NI. NI. (i. e. Nidrosiæ). Crux major duplex, cujus in singulis angulis lilium.

Pondus habet 8 ass.; argenti partes 15 *. Cfr. Beskrivelse, Tab. XXVIII. No. 13-17. 13 expll.

2. Bracteatus bilateralis. Adv. eadem cum ejusdem aversæ vestigiis; p. h. 7 ass. 6 expll.

3. Bract., cum adv. eadem; p. h. 7 ass. 5 expll.

4. Bract. bilateralis. Av. eadem cum ejusdem adv. vestigiis; p. h. 6½ ass. 6 expll.

5. Bract. cum av. eadem; p. h. 5½ ass. 7 expll.

6. Bract. cum typo ejusdem adv. sed inscript: + RЄX MAGNVS SVЄRV.

T. I. N. 2. 7. Adv. Typus idem, et inscript. ut in N. 6. Av. N. N. N. N. Crux major duplex, cujus in centro circulus minutam crucem cingens; in angulis singulis circellus; p. h. 8 ass.

8. Bract. dim. cum av. eadem.

Bracteatos, qui jam sequuntur, Sveri numis similes, quanquam nomine destitutos, iis adjungendos esse opinor.

T. I. N. 3. 9. Bract. MT . (V)Є . . ORC. Typ. ut in av. N. 1; p. h. 7 ass. 2 expll.

Lit. V, in exemplo delineato non apparentem, ex altero exemplo addidi. Primæ literæ fortasse "Moneta Veejarum" (cfr. infra N. 14), significant.

T. I. N. 4. 10. Br. Caput adv. barbatum coronatum.

11. Similis paullo major.

T. I. N. 5. 12. Similis, cum corona simpliciore; p. h. 1$\frac{4}{10}$ ass. Arg. part. 14 - 4. 55 expll.

T. I. N. 6. 13. Br. + BЄRGIS. Caput simile; p. h. 3 ass.

T. I. N. 7. 14. Br. dim. bil. Adv. VЄ— VЄ—. Typ. ut in av. N. 1. Av. explicatu difficilis.

Hic numus in urbe Veejar (i. e. insulæ sacræ) postea Vedöe dicta, in provincia Romsdalen quondam sita, jam diu diruta, cusus esse videtur.

---

* Argenti puritas hic ita indicatur, ut ex partibus sedecim, ex quibus constare fingitur (quæ singulæ in octonas denas minores distribuuntur) earum fiat mentio, quæ sint argenti puri; ex. gr. 14-4 argenti puri 14$\frac{4}{16}$ et æris admixti 1$\frac{1}{16}$ significat.

15. Br. dim. BV— BV—. Typ. idem. T. I. N. 8.

Hic in urbe Burg, Borg s. Sarpsborg (unde Borgasyssel i. e. provincia Burgensis, et Borgathing, i. e. comitia Burgensia nomina traxerunt) haud longe a fluvii Norvegiæ maximi ostio quondam sita, ante tria fere secula diruta, nunc denuo extruenda, cuius esse videtur.

16. Br. quarta pars, cum typo eodem et litt. ITV(?). T. I. N. 9.

17. Br. cum cruci maj. duplici, cujus in angulis singulis facies humana. T. I. N. 10.

In canthari stannei, ante paucos annos Bergis reperti et in ejusdem urbis museo asservati fundo typus huic bracteato similis impressus est. V. Urdæ Vol. I. p. 198 et Tab. 7. N. 10.

B. Numi incerti solidi.

1. Adv. Crux duplex; in ang. binis crux, in ceteris globulus. Av. explicatu difficilis; p. h. 3½ ass. T. I. N. 12.

Hic tam tenuis est, ut bracteatus bilat. facile haberi possit.

2. Adv. Crux; in angg. puncta. In margine nunc detrita inscriptio quondam adfuisse videtur. Av. Crux ornatior; p. h. 3½ ass. T. I. N. 13.

3. Similis, sed in adv. crux cruci imposita astrum formans. T. I. N. 14.

4. Adv. + SI : G . . . . . (retrograde). Astrum. Av. Opus reticulatum vel ædes. T. I. N. 15.

5. Similis, sed in adv. litt. runicarum sunt reliquiæ, et in av. ædes nonnihil diversa; p. h. 3½ ass. T. I. N. 16.

6. Similis, sed in av. astrum nonnihil diversum. T. I. N. 17.

7. Alius parum diversus. Cfr. Brenner, Tab. I. N. 10. T. I. N. 18.

Numorum numero 4-7 hic allatorum magna adest copia, sed omnes detriti vel tam triti sunt, ut non facile distinguantur, et tam tenues, ut in multis dubius sim, utrum eos ad numos solidos, ad bracteatos bilaterales an ad bracteatos, infra C. f. N. 18-24 descriptos, ablegem. Hi numi, tam solidi quam bracteati, omnium norvegicorum, qui hic recensentur, vetustissimi esse videntur, et literas in N. 4 residuas nomina Sigurdi et Eisteini indicare verisimile est. Utrum vero a Sigurdo, Eisteino et Olavo, Magni Nudi-

pedis filiis (1103-1122), an a Sigurdo, Eistcino et Ingone, Haraldi Gillii filiis (1142-1155) cusi sint, ambigi poterat, nisi bracteati, supra p. 12 prioribus adscripti, majoris ponderis et alius formæ essent, quare hos numos posterioribus assignandos esse opinor.

		Pondus * Ass.	Raritas.	Argenti puritas.
	C. Numi incerti bracteati.			
	a. Literis singulis inscripti.			
T.I.N.19.	1. Litera A, duobus circulis inscripta †	1,5.	C.	
	2. Lit. A, minor	1,5.	RR.	
T.I.N.20.	3. Lit. A, adhuc minor; sed linea transversa superne addita longior	1,2.	R^4.	
T.I.N.21.	4. Lit. A, cum tribus punctis infra		R^4.	
T.I.N.22.	5. Lit. A, add. puncto utrinque et infra	1,6.	R.	
	6. Similis minor	1,08.	C.	14. 6.
	7. Lit. B	1,0.	C.	
	Hic in Beskrivelse over Danske Mynter &c. I Cl. Tab. VII, N. 162 et II Cl. Tab. XXX, N. 3, delineatus est. Jam Sperlingius ** hunc Bergis cusum esse censuit.			
	8. B, cum puncto in parte literæ superiori		U.	
T.I.N.23.	9. B, addito puncto ante literam	1,35.	R.	
	10. B, add. puncto utrinque	1,2.	R^2.	
	Hic in Beskrivelse &c. I Cl. T. VII, N. 163, & II Cl. T. XXX, N. 4, et apud Brennerum T. I, N. 5 delineatus est, et ab hoc Biorno regi Sveciæ (818) falso adscriptus.			
	11. B, cum quatuor punctis	1,0.	C.	

* Pondus in assibus norvegicis, quorum 16 = 17 Eschen coloniens., et quidem fractionibus decimalibus, quas dicunt, indicavi. Raritatis gradus ita sunt indicati, ut C (communis) numerum talium numorum 50 excedentem, R (rarus) numerum inter 25 et 50, R^2 n. inter 15 et 25, R^3 inter 10 et 15, R^4 inter 5 et 10, RR (rarissimus) infra 5, U unicum significent.

† Omnium fere typos bini circuli cingunt, sæpius læves, rarius globulis formati.

** De numorum bracteatorum et cavorum origine. Lubecæ 1700. 4o.

	Pd.	Rar.	Arg. p.	
12. Similis minor, et circulus exterior globulis form.	1,0.	C.	13. -	T. I. N. 24.
13. Lit. G, ...	0,9.	RR.		T. I. N. 25.
14. G, cum puncto postposito	0,9.	R.		T. I. N. 26.
15. H, cum circ. ext. glob. form.	1,0.	R^3.		T. I. N. 27.
16. H, cum uno circulo lævi	1,0.	R^3.		
17. H, quatuor punctis cincta, et circ. ext. glob. form.	1,25.	R^4.		T. I. N. 28.
18. Similis minor	0,87.	C.	14. 8.	T. I. N. 29.
19. Similis, sed cum duobus modo punctis superne et inferne additis		RR.		
20. Ħ, cum puncto utrinque	1,08.	C.	14. 4.	T. I. N. 30.
21. Ω, cum puncto inferne	0,87.	C.	14. 8.	
22. Ω, cum puncto inferne, et alio lit. parti superiori imposito . .	0,94.	C.		T. I. N. 31.
23. Ω, cum tribus punctis	0,98.	C.		T. I. N. 32.
24. Ω, cum uno puncto in spatio anteriori		U.		
25. Ω, quatuor punctis cincta	0,84.	R^2.		T. I. N. 33.
26. M, ...	1,5.	RR.		T. I. N. 34.
27. M, minor	1,2.	R^4.		T. I. N. 35.
28. M, cum puncto superne	1,0.	R^4.		T. I. N. 36.
29. M, lit. H fere similis	1,2.	U.		
30. M, similis, quatuor punctis cincta	1,0.	R^4.		T. I. N. 37.
31. M, similis, cui punctum infra deest, et circulo radiato cincta .		U.		
32. Ω, coronata	1,1.	R^3.		T. I. N. 38.

Pauca, quæ adsunt hujus numi exempla admodum fragilia sunt, et ærugine aliqua induta. Num illa litera M sit, non pro certo habeo; aliam vero literam esse posse non video. Tres lineolæ, quas coronam habeo, coronæ capitibus, supra A, 12, et infra II. 2. 3. allatis, impositæ similes sunt.

33. N, ...	1,25.	R.		T. I. N. 39.

		Pd.	Rar.	Arg.	p.
	34. N, minor	1,0.	R³.		
T. I. N. 40.	35. N, cum lineola mediam transeunte	1,55.	R.		
T. I. N. 41.	36. N, retro versa	1,78.	R³.		
T. I. N. 42.	37. Similis minor	1,0.	R³.		
T. I. N. 43.	38. R, ...	1,5.	R⁴.		
T. I. N. 44.	39. R, minor	1,57.	R³.		
T. I. N. 45.	40. R, cum puncto utrinque	1,33.	RR.		
T. I. N. 46.	41. R, retro versa	1,33.	R³.		
T. I. N. 47.	42. Similis minor	0,8.	R³.		
T. I. N. 48.	43. S, ...	1,83.	R³.	14.	7.
	44. S, retro versa, cum circ. ext. glob. form.	1,2.	U.		
T. I. N. 49.	45. S, cum puncto utrinque	1,0.	C.		
	46. Similis, sed circ. ext. glob. form.	1,0.	R.		
T. I. N. 50.	47. Similis, sed retro versa	1,0.	R.		
T. I. N. 51.	48. Lit. T formæ vetustioris, cum puncto postposito	1,0.	C.	14.	4.
	In Beskr. I Cl. N. 244 hic delineatus videtur, sed parte superiore subtus versa. Editores pedum episcopale esse putarunt.				
T. I. N. 52.	49. Similis, sine puncto, et cum circ. ext. glob. form.	1,6.	R³.		
T. I. N. 53.	50. T, formæ alius	1,0.	R³.		
T. I. N. 54.	51. T, formæ alius	1,3.	RR.		
T. I. N. 55.	52. T, formæ vulgaris	1,4.	R⁴.		
T. I. N. 56.	53. T. minor	0,9.	U.		
T. I. N. 57.	54. V, ...	1,33.	C.	14.	12.
T. I. N. 58.	55. X, ...	0,83.	R.		
	56. X, cum circ. ext. glob. form.	1,25.	R.		
T. I. N. 59.	57. X, cum globulis in extremitatibus	1,25.	C.	13.	4.
T. I. N. 60.	58. Similis, cum lineola parti superiori affixa	1,1.	R.		

	Pd.	Rar.	Arg. p.	
59. X, alius formæ	1,3.	R.		T. I. N. 61.

b. Monogrammatibus inscripti.

1. M, cum cruce mediæ infixa, et puncto superne	0,65.	R^3.		T. I. N. 62.
2. R, cum litera runica A præfixa	0,7.	C.	14. 4.	T. II. N. 63.
3. Eadem lit. retro versa	0,88.	R^4.		T. II. N. 64.

Quem hic loco 2 attulimus, Brenner in Tab. I. sub finem delineatum exhibet, et monogramma AVLAFR significare censet. Qualiscunque est explicatio, in numo Olavo Skötkonung adscribendo errat.

c. Cruces simplices exhibentes.

1. Crux simplex	1,0.	R.		T. II. N. 65.
2. Crux, cum lineola brachium quodque transeunte	1,1.	C.		T. II. N. 66.
3. Crux minor	1,23.	R^2.		T. II. N. 67.
4. Similis, cum circ. ext. glob. form.		U.		T. II. N. 68.
5. Crux cum brachiis acutis	2,4.	RR.		T. II. N. 69.
6. Cr., cujus pes circulo interiori nititur, circuli ambientes lineolis juncti	2,4.	U.		T. II. N. 70.
7. Cr., cujus in angulos lineolæ e circ. int. immittuntur	2,3.	U.		T. II. N. 71.
8. Crux major, uno circulo cincta	2,3.	U.		
9. Cr. minor, brachiis in globulos desinentibus	1,33.	R4.		T. II. N. 72.
10. Similis, sed pro circulo int. quatuor arcus	0,9.	C.	14. 4.	T. II. N. 73.

Hujus, qui etiam in Beskr. I Cl. N. 246 delineatus est, omnium plurima adsunt exempla, circa 300 scilicet.

11. Cr. cum duobus punctis	1,0.	C.		T. II. N. 74.
12. Similis, sed cum brachiis ornatis	1,0.	R.	14. 4.	T. II. N. 75.
13. Similis minor		RR.		
14. Similis sine brachiorum ornatu	0,9.	R.		
15. Similis, sed circ. ext. glob. form.	2,0.	U.		T. II. N. 76.

		Pd.	Rar.	Arg. p.
T. II. N. 77.	16. Cr. cujus pes brachiis est longior, cum puncto utrinque . . .	1,0.	R.	
T. II. N. 78.	17. Cr. cum globulo in fastigio et puncto utrinque, circulo uno glob. formato cincta	4,0.	U.	
T. II. N. 79.	18. Cr. cum circello utrinque	1,6.	RR.	
	19. Cr. cum singulis punctis in tribus angulis	1,6.	RR.	
T. II. N. 80.	20. Cr. cum singulis circellis in tribus angulis, et circ. ext. glob. form.	2,0.	U.	
T. II. N. 81.	21. Cr., cujus in angulos e circ. int. glob. form. singula lilia surgunt	2,0.	U.	
T. II. N. 82.	22. Cr. cum puncto in quoque angulo	2,0.	U.	
	23. Similis minor, sed duobus circulis inscripta	1,2.	C.	14. 4.
	24. Similis, sed cum lineola brachium quodque transeunte	1,0.	C.	
T. II. N. 83.	25. Cr. cum puncto in quoque angulo, duobus circ. glob. form. cincta	2,1.	R.	
	26. Similis minor, sed circ. int. lævis	1,66.	R^2.	
	27. Cr., cujus in singulis angulis astrum; inter circulos glob. form. cingentes series punctorum. V. Beskr. I Cl. N. 245	2,6.	R.	
T. II. N. 84.	28. Similis, sed in angulis singulis lilium	2,2.	R.	
T. II. N. 85.	29. Cr., cujus in angulis duobus sibi contrariis singula puncta, in duobus ceteris puncta terna	2,0.	RR.	
T. II. N. 86.	30. Cr., cujus in angg. tribus singula puncta, in quarto quatuor . .	2,1.	RR.	
T. II. N. 87.	31. Similis, sed quatuor punctorum loco circellus	2,2.	U.	
T. II. N. 88.	32. Cr., in cujus angulis singuli circelli, cum puncto in centro . . .	1,6.	R^2.	
T. II. N. 89.	33. Similis, sed series lineolarum inter circulos cingentes	1,0.	R^2.	
	34. Cr., cujus in angulis circelli singuli	2,6.	R^2.	
T. II. N. 90.	35. Similis, sed circ. int. glob. form.		U.	
	36. Cr., cujus pes duobus lignis obliquis est suffultus	1,0.	R^2.	

Brenner Tab. I hunc delineatum præbet, et opinionem monogramma runicum, tria priora nominis EIRIKR elementa indicans esse proponit.

	Pd.	Rar.	Arg. p.	
37. Similis, sed brachiis in globulos exeuntibus	1,2.	C.	14. 4.	T. II. N. 91.
38. Similis, sed lineis subtilioribus form.	0,75.	R³.		T. II. N. 92.
39. Similis, sed lignorum loco continuus areus	1,15.	R.		T. II. N. 93.
40. Similis minor	0,9.	R³.		
41. Similis ornatior	0,9.	C.		T. II. N. 94.

d. Cruces patriarchales exhibentes.

1. Crux patriarchalis, circ. glob. form. cincta. V. Beskriv. I Cl. T. III, N. 22. & II Cl. T. XIII. N. 11.	2,6.	RR.		
2. Cr. p. duobus circulis lævibus cincta	1,3.	C.		T. II. N. 95.
3. Similis, sed crux minor	1,3.	R³.		
4. Similis, sed brachia in globulos exeunt	1,3.	R³.		T. II. N. 96.
5. Similis, sed brachiis brevioribus	1,3.	RR.		T. II. N. 97.
6. Cr. p. major brachiis in acumina exeuntibus, uno circulo, cui pes crucis innititur, cincta	1,5.	RR.		T. II. N. 98.
7. Similis minor, sed sine acuminibus, et duobus circulis cincta . .	1,0.	RR.		
8. Similis, brachiis in globulos exeuntibus	1,3.	RR.		T. II. N. 99.
9. Similis minor	1,0.	RR.		
10. Similis major, sed circ. ext. glob. form.	2,2.	RR.		T. II. N. 100.
11. Cr. p. cum puncto utrinque	0,9.	R³.		T. II. N. 101.
Brenner hunc T. I del. offert, et literam runicam O esse interpretatur.				
12. Similis, sed br. in glob. exeunt.	1,4.	R³.		
13. Similis, sed crux minor	1,4.	R⁴.		
14. Cr. p. inter duo puncta, pede circulo interiori innixo	1,3.	R³.		T. II. N. 102.
15. Cr. p. add. utrinque circello	1,3.	U.		T. II. N. 103.
16. Cr. p. quatuor punctis cincta	1,2.	U.		T. II. N. 104.
17. Cr. p. duobus lignis obliquis suffulta; et circ. ext. glob. form. .	1,1.	C.		T. II. N. 105.
18. Cr. p. similis major, circulo utroque ambiente lævi	1,3.	C.	14. 12.	T. II. N. 106.

Pd. Rar. Arg. p.

Hunc quoque Brenner T. I delineatum præbet, et monogramma runicum OLAFR typum significare interpretatur.

e. Capita exhibentes.

T.II. N.107. 1. Caput coronatum (?) os dextrum intuenti advertens; alt. parte $\frac{R}{E}$ alt. X; circ. glob. form. cinctum . . . . . 2,8. U.

T.II. N.108. 2. Similis, sed illæ litt. sic R $\frac{E}{X}$ dispositæ . . . . . 3,2. U.

T.II. N.109. 3. Caput pileo tectum, os dext. intuenti adv. . . . . 1,42. R^3.

T.II. N.110. 4. Caput minus, cujus collum circulo int. innititur . . . . . 1,3. RR.

5. Similis, sed circ. ext. lævi . . . . . 1,3. RR.

6. Caput pileo tectum, os sinist. int. adv. V. Beskr. II Cl. T. XXVIII. No. 6. . . . . 1,0. R^4.

7. Similis, sed capite aliter formato. V. ibid. N. 7. . . . . 1,0. R^4.

T.II. N.111. 8. Caput parvum . . . . . 0,9. R^3.

T.II. N.112. 9. C. adversum coronatum . . . . . 2,2. U.

T.II. N.113. 10. C. adv. coron., rudibus lineis adumbratum; ad dext. crux. (trit.) U.

Exempla aliquot hujus, qui ætate ceteris major esse videtur, (cfr. p. 12) numophylacium univ. jam antea possidet.

f. Typos varios exhibentes.

T.II. N.114. 1. Sceptrum . . . . . 1,7. R^3.

T.II. N.115. 2. Pedum episcopale . . . . . 1,0. C. 14. 4.

3. Simile simplicius. V. Beskr. II Cl. T. XII. N. 10. . . . . 1,28. R^4.

4. Simile cum puncto apposito . . . . . 2,0. U.

5. Simile, sine puncto, sed circ. ext. glob. form. . . . . 2,0. U.

T.II. N.116. 6. Linea spiralis . . . . . 1,2. R^3.

7. Circuli tres concentrici, cum puncto in centro. V. Beskr. II Cl. T. XII. N. 9. . . . . 1,0. C.

8. Similis, sed circuli interiores lineola conjuncti . . . . . 1,0. R^4.

	Pd.	Rar.	Arg. p.	
9. Duo circuli læves et unus glob. form. commune centrum, puncto distinctum ambientes	1,4.	C.		T.II. N.117.
10. Quinque puncta crucis forma disposita	1,2.	RR.		
11. Similis major, circ. ext. glob. form.	1,4.	R².	14. 4.	T.II. N.118.

Plures horum numero 3-11 allatorum Bircherodius Olavo Famelico, Daniæ regi (1680-1686) falso adscribit.

12. Astrum, octo radiis bicornibus formatum	1,0.	C.	14. 4.	T.II. N.119.
13. Figura lit. Y similis		U.		T.II. N.120.
14. Similis, tribus globulis form.		U.		T.II. N.121.
15. Figura tricuspis, tribus circuli arcubus formata		RR.		T.II. N.122.

Omnia exempla valde fragilia et ærugine induta sunt.

16. Quatuor globuli figuram triangulam formantes, tribus arcubus et extra illos circulo cincti	0,9.	R².	13. 6.	T.II. N.123.
17. Quatuor globuli, quatuor arcubus & circulo cincti	1,0.	C.		T.II. N.124.
18. Astrum, ut in Adv. numi supra B. 6 allati (trit.)	2,8.	R².		
19. Astrum aliquanto majus. V. Beskr. I Cl. N. 85. (trit.)	3,0.	R².		
20. Astrum majus, fere ut in Beskr. I Cl. N. 6.		U.		
21. Opus reticulatum, ut in Av. numi supra B. 4 allati	1,7.	R².		
22. Simile, sed cum ora aliter formata	2,0.	R².		
23. Simile, sed quatuor globulis cinctum	2,1.	R².		T.II. N.125.
24. Aedes cum tribus turribus, ut in Av. n. B. 7 supra	2,4.	R².		
25. Securis, circ. ext. glob. form.		U.		T.II. N.126.

Hos numos bracteatos esse norvegicos, vix dubium est. Ex usu numorum peregrinorum vulgari in medio ævo opinio quidem oriri potest, hos etiam esse peregrinos; sed tam parvi bracteati in nullo regno nisi in Norvegia et Svecia cusi sunt; et quum omnes haud longe a Norvegiæ centro sint reperti, longe maximam eorum partem saltem esse norvegicam, non est dubitandum. Omnes itaque inter norvegicos retuli, rationibus

destitutus, ex quibus eos, qui fortasse svecici sunt, seligerem, quum Brenneri et Berchii definitionibus fides haberi nequeat *. Sicut hi numi in universum definitu sunt difficiles, ita eos quoque, qui literis sunt inscripti, conjectura sola regibus et urbibus monetalibus adscribere valemus. Ita literæ A, B, N, S, T et V. urbes Asloam, Bergas, Nidrosiam, Stavangriam, Tunsbergas † et Veejas; literæ G, H (ℏ) et M (Ω) Guttormum (1204), Haquinum (1202-1204) et Magnum Erlingi fil. (1161-1184) indicare videntur; lit. R fortasse REX significat, sicut hoc vocabulum sine regis nomine in numis supra e. 1 et 2 allatis legitur; X Christum, cujus nomen in medii ævi numis est frequentissimum, indicare potest.

Typi ceterorum literis destituorum ad arbitrium electi videntur. Solus, qui animum ad se advertit, est pedum episcopale ante jus monetæ feriundæ clericis concessum. Veri enim vix est simile, regem aliquem in numis suis hunc typum elegisse. Videant ergo historiæ scrutatores, num episcopus quidam Norvegiæ, qui episcopos Germaniæ jam diu jus monetæ exercere vidisset, idem jus vel rege invito sibi arrogaverit **.

II. Numi Svecici.

Canutus Erici fil. (1168-1197.)

T.II. N.127. Bracteatus, KNVTVS RIX S. Caput adv. coron. dext. gladium tenens; p. h. 2½ ass. Arg. pr. 14. 12. 30 expll.

---

* "Seer jag paa Brenners plancher og i Berchs beskrifning, så finner jag intet af dessa regenters (i. e. Svercheriæ et Ericiæ stirpis) mynt, som kan försvaras och få af bracteaterne torde rätfärdiga sin plats." Hildebrand, Upplysningar till Sveriges Mynthistoria, p. 46.

† Numos in tribus urbibus prioribus ante seculum decimum quartum cusos jam antea novimus; numus vero Tunsbergis cusus nuper inventus est, cujus in Adv. Erici Magni fil. nomen et in Av. CASTRVM TVNSBERGIS legitur. Numus in numophylacio Schiviano asservatur. De alio eodem fortasse loco signato vide Urda, Vol. I. p. 199.

** Exstat numus Philippi ducis, cujus in Av. legitur MONETA E ASLOENSIS — V. Beskrivelse II Cl. T. XXVIII, N. 25, — quam inscriptionem hujus operis editores Monetam Ecclesiæ Asloensis interpretantur. Reperti sunt etiam ante aliquot annos in valle Norvegiæ, Gudbrandsdalen dicta, unacum numis, quos ad priorem seculi duodecimi partem fere referendos opinor (cfr. p. 12), nonnulli numi bracteati, qui episcopi protomen pedum tenentis exhibent, et qui illos et argenti puritate et pondere æquant.

Brenner, Tab. III, fere similem exhibet.

Incerti.

1. Bract. LC DV. Caput adv. coronatum; p. h. 1⅛ ass. Arg. pr. 13. 14. 16 expll., T.II. N.128.

2. Similis, sed inscript. LE ODV. 20 expll. T.II. N.129.

Similem Beskr. II Cl. T. XXVIII, N. 4 delineatum præbet, in quo editores OULAF legerunt. Hon. Schive conjecturam mihi proposuit, hunc numum in urbe *Ljodhus*, magno quondam emporio, ad fluvium Gothensem sito, postea *Lödese* dicto cusum esse; quam conjecturam capitis in numo nostro similitudo cum typo numi Canuti supra descripti probabilem sane facit, imprimis si lineolam post lit. V lit. S indicare credideris.

3. Bract. Caput adversum; infra series globulorum, inter quos sinistrorsum baculus. 4 expll. T.II. N.130.

Hunc, quia præcedentibus est similis, svecicum habeo.

III. Numi Danici.

Sveno Grathe (1147-1157.)

1. Adv. Protome adv. coronata, dext. sceptrum; ad s. REX. Av. SVEN DANORUM. Aedes cum tribus turribus. V. Beskr. II Cl. Tab. VIII, N. 83.

2. Bract. SVENO REX. Cap. coron. os dext. intuenti advertens. V. l. c. T. VII, N. 56.

Canutus V. (1147-1157.)

1. Bract. KANVTVS. Protome adv. coron.; p. h. 6 ass. T.II. N.131.

Hunc numum antehac ignotum huic regi adscribendum esse putavi, quia tum bracteatum Svenonis jam allatum magnitudine et pondere æquat, tum a bracteato, infra Canuto VIto adscripto, differt.

2. Bract. Protome adv. coronata, d. globum imperii, s. vexillum; p. h. 6 ass.

Hunc Beskr. I Cl. T. XXVIII, N. 9 delineatum præbet, et norvegicum esse opinatur; ob similitudinem cum proxime allato potius danicum esse putavi.

3. Alius fere similis.

Canutus VI. (1182-1202.)

Bract. CANVT RGX DAN. Caput adv. coronatum; p. h. 4 ass. T.II. N.132.

Hunc antehac ignotum Canuto sexto assignandum putavi, quia tum a numis Canuti quinti magnitudine et forma differt, tum numos regis Sveciæ coævi fere æquat.

Incerti.

1. Adv. Protome adv. coron., d. sceptrum, ad sin. astrum, margine ornatiore cincta. Rev. Protome episcopi, simili margine cincta. V. Beskr. II C. T. XIV, N. 18. (trit.)
2. Fragmenta numorum fere similium, sed prot. adv. d. sceptrum et sin. globum imperii, et prot. av. sin. crucem tenet.

Hujus numi et fragmentorum trita conditio opinionem movent, eos medio seculo duodecimo vix esse posteriores.

IV. Bracteati Scandinavici incerti.

T.II. N.133. 1. Protome adv. rudis formæ, d. gladium, s. globum imperii; inter caput et gladium crux.

T.II. N.134. 2. Prot. adv. formæ rudis; in area figuræ incertæ; p. h. 5 ass.

3. Cap. adv. figuris similibus cinctum; p. h. 5 ass. V. Beskr. I Cl. N. 250. 2 expll.

T.III.N.135. 4. Globuli aliquot, qui protomen referre videntur, d. gladium ten.; p. h, 6 ass.

5. Manus, pedum episcopale tenens; p. h. 6 ass. V. Beskr. I Cl. N. 247. 2 expll.

T.III.N.136. 6. Avis alis expansis; p. h. 2½ ass. 2 expll.

7. Quadrupes gradiens (leo?); p. h. 3 ass. V. Beskr. II Cl. T. XXVIII, N. 11. 2 expll.

8. Arx cum tribus turribus; p. h. 6 ass. V. ibid. I Cl. N. 112.

9. Arx cum tribus turribus et porta, in qua facies humana. V. Beskr. I Cl. N. 115.

T.III.N.137. 10. Tres turres; p. h. 2½ ass.

V. Numus Scoticus.

Guilielmus I Leo (1165-1213.)

Adv. (LE R)EI WILL(AM). Caput coron. os sinistr. intuenti advertens; ante sceptrum. Av. Inscriptio detrita. Crux, in cujus angulis singulis lunula. V. Cardonnel, Numismata Scotiæ, Edinburgh, 1784, 4o. Tab. I, N. 1 (av.) et N. 4 (adv.).

Est numus Scotiæ vetustissimus. Inscriptionem adversæ francogallicam: *Le Rei* i. e. le roi, rex, Cardonnel, p. 39 inde ortam opinatur, quod regem in Normandia captivum

artifices francogallicos, qui numos ad libertatem ipsi redimendam cuderent, in patriam misisset.

VI. Numi Anglici.

Stephanus (1135-1154).

Numi ab eo cusi modo fragmentum adest, ejus scilicet, quem Ruding Tab. I, N. 16 exhibet, in quo caput adv. coron. apparet, cum inscript. STEFNE, et in av. Crux, quatuor arcubus cincta, cum inscript. VILL . . .

Henricus II (1154-1189.)

1. Adv. + H(ENRI R)EX. Protome adv. coron. d. sceptrum. Av. + NICOLE (reliqua desunt, forfice abscissa). Crux, cujus in angulis singulis crux minor. Typ. fere ut Ruding, Tab. II, N. 4.

   Præter hunc adsunt quatuor expll. detrita, in quorum unius av. legitur: + ℏER . . . . NES.

2. Adv. ℏ€NRICVS R€X. Caput adv. coron. d. sceptrum. Av. OSB€R . ON LUND. Crux. V. Ruding (Henric. III) Tab. II, N. 13-15.

3. Alius, sed in av. RAVL.

4. Alius, sed in av. R€INALD *.

VII. Numi Germaniæ imperatorii.

Fredericus I (1152-1190).

1. Adv. FR€D€R IMPR. Imperator adv. coron. sedens, d. gladium, s. globum imperii; sinistrorsum astrum. Av. + ROMA CAPVT MVNDI. Arx cum porta et turri. V. Götz Kaisermünzen, N. 441; p. h. 20 ass. 110 expll.

---

* Numos tres posteriores cel. Ruding — Vol. II. p. 56 sqv. — Henrico tertio adscribit; priores vero numismaticos nonnullos Henrico secundo eos rectius adsignasse arbitror. Nam inter omnes numos nulli eorum regum, qui inter Henricum II et Henr. III. regnarunt, nec regum Daniæ et Sveciæ, regnorum Norvegiæ propiorum, cum Henrico III coævorum adsunt.

Et Göts, — p. 91 — et Lelewel (Monnoies du moyen age, II, p. 31 et 307) Frederico II hunc numum adscribunt; sed neuter eorum argumenta probabilia affert. Voigt vero — Beschreibung der böhmischen Münzen, I, p. 402 — et Mader (I, N. 50. 51.) Frid. Imo. eum adsignant, et posterior simul eum Aquisgrani, quæ urbs *Roma secunda* appellabatur, cusum esse arbitratur. Frid. IIdum etiam non ante a. 1220 imperatorem Romæ esse coronatum, et omnia illius numi, quæ adsunt, exempla magis quam ceterorum plurima esse trita consideranti vix dubium restat, quin Frid. Imo numus sit adscribendus.

T.III.N.138. 2. Adv. FPIO . . . . . Imp. adv. coron. sedens, d. globum imperii, s. sceptrum. Av. ꝺA (i. e. Sancta) COLON(IA) . . . IAI (ɔ: pacis mater). Arx cum tribus turribus et porta.

Henricus VI (rex 1169-1190).

T.III.N.139. Bract. RꝺX . HꝺINRICVS. Rex adv. coron. sedens, d. globum imp., s. sceptrum; p. h. 11 ass. 2 expll.

Otto IV (1198-1212.)

T.III.N.140. Adv. + ODDO . . . . . Crux, cujus in angulis singulis globus. Av. S COLONIA.

Similem præbent et Harzheimii historia rei numariæ Coloniensis, Tab. III. N. 1, et Mader, Kritische Beyträge zur Münskunde des Mittelalters, I, N. 32. Prior quidem — p. 110 — Henricum VI imperatorem archiepiscopo pollicitum esse narrat, monetam inperatoriam in posterum in ejus dioecesi non nisi in urbibus Duisburgi et Tremoniæ cusum iri; sed hoc non prohibet quo minus Adolphum archiep., Ottonis IVti amicum, huic etiam Coloniæ numos signandi veniam concessisse censeamus, quod mihi saltem magis probabile videtur, quam numum nostrum Ottoni III, ætate a ceteris principibus, quorum numos ante oculos habemus, tam distante viventi adscribere. Cfr. infra numum Paderborniæ cusum.

Incerti.

T.III.N.141. 1. Adv. PD AH ꝺIꝐA. Imperator adv. sedens d. sceptrum, s. securim. Av. ꝺIA (Sancta) COLONIA . . . . Arx cum porta et tribus turribus; p. h. 26 ass.

Cfr. numum haud dissimilem apud Götzium N. 445.

2. Adv. * OΓAO . . . . . Imp. adv. sedens, d. sceptrum, s. globum imperii. Av. + OA . V . . . . Arx cum porta et tr. turribus; p. h. 25 ass. T.III.N.142.

Cfr. apud Götzium, N. 495, numum fere similem.

3. Bract. Imp. adv. coron. sedens, d. sceptrum, s. globum imperii; p. h. 10 ass. T.III.N.143.

4. Alius minor, parum dissimilis; p. h. 11 ass. T.III.N.144.

5. Bract. Impr. adv. coron. inter duas turres sedens, d. gladium, s. scutum, supra quod sceptrum prominet; p. h. 10 ass. T.III.N.145.

Inscriptionis reliquiæ manent.

VIII. Numi Batavici.

1. Adv. + G + A + N + T. Caput pileo tectum. Av. + GGROLF. Crux; in angulis duobus contrariis singulum punctum, in ceteris quaterna; p. h. 8¼ ass. T.III.N.146.

Numum ejusdem typi et cum eadem adv. inscriptione Lelewel, Tab. XX, N. 15 oculis offert, cujus in aversa vero legitur B COMGS, quem Balduinum VIII (1191-1194) vel IX (1194-1206) esse opinatur. Numum nostrum ejusdem ævi esse liquet quidem, sed quis Gerolfus fuerit, num Gandavi castellanus, an monetarius an alius quidam, frustra investigavi.

2. Adv. Astrum cum quinque lunulis; in margine circelli quatuor. Av. Crux, cui altera crux decussatim imposita est; in margine lineæ et puncta, inter quæ lit. N; p. h. 8 ass. 2 expll. T.III.N.147.

3. Alius fere similis, sed in adv. circelli absunt, et in av. crux, in cujus duobus angulis inter se contrariis lunulæ, in ceteris globuli singuli. 2 expll.

Fere similes apud Lelewel T. XX delineati sunt, ex. gr. N. 95.

IX. Numi Saxonici.

Henricus Leo (Saxoniæ et Bavariæ dux, 1139-1186.)

Magni bracteati pars superior, leonis caput, dorsum et caudam exhibens, cum inscriptionis in margine reliquiis. Similis integer in Blätter für Münzkunde, Vol. I. T. IV. N. 58, delineatus est, cum inscriptione: DVX HEINRICS O LEO &c.

Otto Dives (Misniæ marchio 1157-1189) *.

T.III.N.148. 1. Adv. OTTO MARIIO. Protome os sinistr. intuenti advertens, d. sceptrum, s. gladium. Av. . I . I . I . &c. Arx cum tribus turribus et porta, in qua astrum; p. h. 9½ ass.

Hic est prototypus numi similis, quem Blätter f. Münzk. Vol. III. T. VI. N. 119 præbent, cujus inscriptio sensu caret.

T.III.N.149. 2. Bract. + OTO MARIIO SALTVEL. Turres tres, super mediam clavis magna; p. h. 11 ass.

Saltvel s. *Saltwedele* nomen antiquum est urbis, in provincia Altmark sitæ, quæ hodie *Salzwedel* appellatur. Hic marchiones primi sedem et monetæ officinam habebant.

T.III.N.150. 3. Bract. OTO MARI. Princeps armatus, stans, d. gladium, s. vexillum; sinistrorsum scutum; p. h. 15½ ass.

T.III.N.151. 4. Bract. OTO ΩARI. Typus idem, sed sine scuto, et cum sagulo humeris injecto; p. h. 15 ass.

T.III.N.152. 5. Bract. OTO MARCI. Princeps stans, d. vexill. s. scutum; p. h. 17 ass.

Ludovicus IV v. V (Thuringiæ comes 1149-1172 v. 1172-1190.)

Duo magni bracteati fragmenta, quem Schlegel — de numis antiquis Icenacensibus &c. Jenæ 1703, 4o. — Tab. I. N. 2 oculis offert, in quo princeps armatus, d. vexill., s. clypeum, equo vectus apparet, et cujus margo inscriptus est: LVDƠWICVS. PROVINCIALIS. COMƠS DƠ ISƠNAƠ.

Bernhardus (Saxoniæ dux 1180-1212).

T.III.N.153. 1. Bract. BƠRNARDVS. Princeps stans, d. gladium, s. vexill.; p. h. 13 ass.

T.III.N.154. 2. Bract. BƠRNARDVS. Princeps stans, d. vexill., s. clypeum; p. h. 15 ass.

T.III.N.155. 3. Bract. BƠRN. Princeps inter duas turres sedens, d. gladium, s. scipionem crucigerum; p. h. 13 ass.

---

* Dubitari potest, an sint quidam numorum, qui hic recensentur, Ottoni, Brandenburgi marchioni (1170-1196.) assignandi. Equidem eos potius saxonicos esse puto, quia a brandenburgicis, quos Seeländer delineatos præbet, diversi sunt characteris.

4. Bract. . . . . DVS. Princeps stans, d. sceptrum crucigerum, s. vexill.; p. h. 15 ass. T.III.N.156.

X. *Numi principum ecclesiasticorum.*

a. locorum certorum.

BREMIS.

Sifridus (1179-1184.)

1. Adv. + SIFRID . . . . . Protome adv. d. sceptrum crucigerum, s. pedum episcopale. Av. ΓA . . . . . Ædes formæ insolitæ; p. h. 12 ass. T.III.N.157.
2. Alius, ved in Adv. + SIF . . . . . ЄPISC, et in Av. + CAZE . . . . .AOЯD; p. h. 14 ass.

Conjectura modo ductus huic Sifrido, Brandenburgi antea episcopo, hunc numum assignavi. Alius Sifridus Paderborniæ erat episcopus, 1176-1186, et alius ejusdem nominis Wirceburgi episc. 1147-1160.

COLONIÆ.

Hitolphus (1076-1079).

1. Adv. HIT APCЄPISCOP. Archiepiscopus adv. sedens, infula orn. d. pedum episcopale, s. vexill. Av. + ЄIA (Sancta) COLONIA PAIC MAI (i. e. pacis mater). Arx cum tribus turribus et porta; p. h. 23½ ass. arg. pr. 14. 0. V. Groschen Cabinet, T. I. N. 9. 7 expll.
2. Alius minor.
3. Alius, sed archiep. s. librum tenet. V. Gr. Cab. T. I. N. 8.
4. Alius, sed archiep. capite nudo. V. ibid. N. 7. 4 expll.
5. Alius N. 1 similis, sed in Adv. HIAT. 7 expll.

Hosce numos, numismaticos Germaniæ auctores secutus, huc retuli; non tamen diffitendum est, mirum mihi videri, inter tot numos Colonienses nullum adesse eorum principum, qui sedem archiepiscopalem inter Hitolphum et Philippum occuparunt, et

formam lit. C rotundiorem centum annos ante quam in numos regum Galliæ et imperatorum Germaniæ admissa esset, in Coloniæ numis apparere.

Huc accedit, quod proximi ejus successores formam lit. E in suos numos admiserunt, et cognomen urbis, PACIS MATER, nec in antecessorum nec in trium successorum, Sigewini, Hermanni et Brunonis (1079-1137) numis, sed post hosce tandem apparet. Ceterum hi numi non plus quam Philippi, et minus quam Frederici I, sunt triti. Videant itaque peritiores, num fortasse posteriori ævo adscribi debeant.

Philippus I (1167-1191).

1. Adv. + PHILIPP ARCHIEPC. Archiep. adv. sedens, d. pedum episc., s. librum. Av. SANCTA COLONIA. Arx; p. h. $25\frac{1}{10}$ ass. arg. pr. 14. 16. V. Gr. Cab. T. II. N. 19. 16 expll.
2. Adv. PHILI . . . . . Typus idem. Av. . . . . NIA PAIC MA. Arx. V. ibid. No. 18.
3. Alius, sed in Adv. PILIPVS A . . . .
4. Adv. PHLPVS ARCOPS. Crux; in angulis tribus V, in quarto figura incerta. Av. S COLONIA. Cfr. Gr. Cab. T. III. N. 21.
5. Alius minor, sed in Adv. ARCIOES: p. h. 11 ass.

Multa alia adsunt numorum Coloniensium exempla, sed archiepiscopi nomen deest.

MAGADEBURGI.

Ludolphus (1194-1209).

T.III.N.158. Bracteatorum trium fragmenta, quæ archiep. sedentem, d. pedum episc., s. sceptrum crucigerum præbent; in margine: LVDOLW . . . . EPISCO.

Bracteatum fere similem Leuckfeld, — Blech-Münzen Halberstädtischer Bischöffe, — T. V, N. 68 affert, quem Ludolpho Halberstadiæ episcopo, 1236-1241, adscribit, qui tamen serius vixit, quam ut numi ejus inter eos, qui hic recensentur, locum habere possint; spatium etiam ante EPISCO in numo nostro adest, ubi ARC excidisse facile putetur. In alio fragmento archiep. s. librum tenet.

Incerti archiepiscopi.

1. Bract. S. MAVRICIVS. Protome Sancti adv. nimbo cincta, d. sceptrum crucigerum, s. vexill.; p. h. 14 ass. 4 expll. T.III.N.159.
2. Bract. S. MAVRICVS. Sanctus adv. sedens, nimbo cinctus, d. sceptrum crucigerum, s. palmæ ramum, cum gladio in gremio; p. h. 14 ass. arg. pr. 14. 8. 4 expll. T.III.N.160.
3. Alius, sed SCS. MAVRIC DVS (i. e. DVX).
4. Bract. MAVRIC . . . Sanctus adv. stans, cap. nimbo cincto, d. sceptrum crucigerum, s. palmæ ramum. 1½ expll. T.III.N.161.
5. Bract. SC. MAVRICIV. Sub arcu quatuor turribus ornato protome Sancti, d. sceptrum crucig. s. palmæ ramum t. apparet; p. h. 16 ass. 4 expll. T.III.N.162.

MONASTERII.

Adv. + NNNCR . . NVCCI. Crux, cui pedum episcopale decussatim impositum est. Av. + MIMEGA . . VORDI. Ædes cum tribus turribus et porta; p. h. 26 ass. T.III.N.167.

Monasterium olim *Mimigardford* dicebatur.

PADERBORNIÆ.

Adv. + S. LIBORIS EPIC. Episcopus adv. sedens, d. pedum episc., s. librum. Av. + ODDOI + IV . . . NIG. Crux; in angulis singulis globulus; p. h. 23½ ass. 2 expll. T.III.N.163.

Hunc numum Bernhardi II. Paderborniæ episcopi (1186-1202) esse censeo. Cfr. fere similes in Grosch. Cab. X Fuch, N. 34 et apud Maderum, Vol. I. N. 108, quos hic tamen Bernhardo III (1202-1221) adscribit. Cfr. etiam av. similem supra p.

QVEDLINBURGI.

Bract. Abbatissa adv. velata sedens, d. scipionem crucigerum; utrinque pone cancellos homo. Inscriptionis reliquiæ manent: NIA . . CA . . p. h. 13 ass. 6 expll. T.III.N.164.

Inscriptiones non in omnibus exemplis eædem fuisse videntur. In uno ceterum trito nomen BEATRIX (abb. 1139-1161) adfuisse videtur.

b. locorum incertorum.

T.III.N.165. 1. Adv. . . . FPID . . . Protome episcopi os sinistr. intuenti advertens, d. pedum episc., s. librum; pone caput circellus. Av. Crux; in centro circulus, in quo crux minor; p. h. 12 ass. 2 expll.

Exempla tam trita sunt, ut inscr. av. omnino desit. Numi episcoporum Ultrajecti eandem av. offerunt. V. Blätter für Münzkunde, V. IV, T. XVII, N. 351.

2. Alius, sed de inscr. adv. litt. PA super capite manent.

3. Alius, cum ejusdem inscr. reliquiis atque in N. 1, et flore vel astro pone caput; p. h. 12 ass. 6 expll.

4. Adv. Protome ep. os dextr. intuenti advertens; ante pedum episc., pone corona. Av. Crux, cum singulo puncto in quoque angulo; p. h. 7 ass. 4 expll.

In Beskrivelse &c. II Cl. T. XIV, N. 12 hic delineatus est, et Absaloni, Londinorum Goth. archiepiscopo, adscriptus. Ultrajectinum potius numum esse censeo. Cfr. Blätter f. M. V. IV. T. XVII, N. 350.

T.III.N.166. 5. Prot. adv. hinc pedum episc., illinc manus erecta. Av. Crux; p. h. 7 ass.

6. Alius fere similis, sed sine manu in adv. V. Beskr. I Cl. T. V, N. 76. 2 expll.

T.IV.N.168. 7. Adv. Prot. episc. os sinistr. intuenti adv. d. pedum ep. s. librum. Av. Ædes; p. h. 12 ass.

T.IV.N.169. 8. Adv. Episcopus adv. sedens d. pedum ep. s. librum. Av. Ædes; p. h. 9 ass.

9. Adv. . . NCVC . . . . Episc. adv. sedens, d. pedum ep. s. librum. Av. Inscr. detrita. Ædes.

T.IV.N.170. 10. Adv. Prot. adv. d. scipionem crucigerum(?) Av. Ædes; p. h. 15 ass.

Hic numus in Histoire numismatique de Liége, par M. de Renesse-Breidbach, Bruxelles 1831, Pl. I. N. 4 delineatus est, et Notgero s. Rotgero, Leodii episcopo (971-1008) adscribitur. In numo nostro etiam reliquiæ inscript. ROT GPC manent. Numum vero tam veterem esse non credo, sed seriori ejusdem nominis episcopo assignandum puto, ex. gr. Rogerio, Lausannіæ ep. (1174-1211) v. Rudgero, Wirceburgi ep. (1122-1125).

11. Adv. HOHIA . . . . IC. Prot. adv. d. palmæ ramum, s. scipionem crucigerum. Av. . . . OD . . . IOVMG (retrograde). Crux; p. h. 10 ass. T.IV.N.171.

12. Fragmentum bracteati elegantis, episcopum sub arcu turribus ornato adversum sedentem, d. pedum ep. s. librum, exhibentis. T.IV.N.172.

13. Fragmentum bracteati pulchri. Episcopus adv. sedens, d. scipionem crucig. s. pedum ep., margine oblongo cinctus, qvem vir utrinqve tenet. T.IV.N.173.

14. Bract. Episc. adv. sedens, d. scip. crucig. s. pedum ep.; p. h. 8½ ass. 2 expll. T.IV.N.174.

15. Alius, sed episcopus minor. 2 expll.

16. Bracteati pars dimidia (forfice divisa). Episc. adv. stans, s. pedum ep., cui turris adstat. Inscr. NSIDVIC. T.IV.N.175.

17. Bract. Super porta, duobus turribus instructa, protome episcopi, d. vexill., s. pedum episc. t. apparet; p. h. 12 ass. T.IV.N.176.

18. Bract. Sub arcu tribus turribus ornato protome episc., d. pedum ep. s. librum t. apparet; p. h. 10½ ass. 2 expll. T.IV.N.177.

19. Bract. similis, sed super turri media crux.

20. Alius, sed episc. d. librum, s. pedum ep.; p. h. 11 ass. T.IV.N.178.

XI. Numi incerti.

a. solidi.

1. Adv. I. RH⅄RDVS. Crux. Av. Inscr. partim abest. Aedes vel arx cum porta et tribus turribus; p. h. 23½ ass. 6 expll. T.IV.N.179.

Quæ sit inscriptionis adv. litera secunda, nescio. Omnium, quos comparavi, nulla minus differt, quam lit. M vel forte lit. U inter "*formes extraordinaires en Allemagne vers* 1220," in Tab. XXXIV apud Lelewelium. Exempli nostri aversa iteratis mallei ictibus deformata est; inscriptionis literæ aliæ in aliis apparent, ex. gr. in duobus AL, in alio A.IDI, in alio RAL, in alio . . . RO.

2. Adv. ODDO DI . . . . Crux. Av. Inscript. detrita. Arx cum tribus turribus; p. h. 23½ ass. 3 expll. T.IV.N.180.

3. Alius, sed in adv. asteriscus in centro deest, et in angulis asteriscorum loco puncta. 3 expll.

4. Alius, sed in adv. in uno angulo quatuor puncta, in alio asteriscus, in ceteris globulus. 2 expll.

5. Alius, sed in ang. uno quatuor puncta, in alio globulus et in ceteris asteriscus.

Cuinam Ottoni hi numi sint adscribendi, dictu est difficile. Ottonis III imperatoris ævum remotius esse videtur, et Ottonis IV numi alius sunt characteris, quod etiam de numis marchionum Misniæ et Brandenburgi valet. Conjectura inter Ottonem Wittelsbachium, Bavariæ ducem (1180-1183) et Ottonem, Geldriæ comitem (1183-), vacillat; et si hujus sunt numi, ille, qui primo loco allatus est, ejusdem antecessori, Gerhardo III (1177-1183) adscribi poterit.

T.IV.N.181. 6. Adv. + EISHEEICCLSAP. Caput adv. coronatum. Av. Io Io &c. Crux, cum globulo in quoque angulo; p. h. 10 ass. 2 expll.

7. Alius, sed in av. + NOEISONEDI . IS . I . VON; p. h. 8½ ass. 2 expll.

T.IV.N.182. 8. Adv. Avis expansis alis. Av. Sub arcu clavis magna inter duas coronas (?) p. h. 8 ass. Cfr. T. III. N. 149.

T.IV.N.183. 9. Adv. Princeps adv. coron. sedens, d. gladium, s. palmæ ramum. Av. ut X. b. N. 1.

T.IV.N.184. 10. Adv. Caput os dextr. intuenti advertens. Av. Crux, cum lineola in quoque angulo. Inscriptiones detritæ sunt; p. h. 12 ass.

T.IV.N.185. 11. Adv. Ædes formæ insolitæ. Av. Crux, figuris incertis cincta.

T.IV.N.186. 12. Adv. Inscr. detrita. Crux, cum globulo in quoque angulo. Av. Crux parva, quatuor circellis cincta, in quibus literarum reliquiæ apparent.

T.IV.N.187. 13. Adv. Protome formæ rudis, os sinistr. intuenti advertens; ante sceptrum. Av. Crux. Inscriptiones legi nequeunt.

b. bracteati.

α. Sanctorum imagines exhibentes.

T.IV.N.188. 1. Sanctus inter duas turres sedens, d. gladium, s. palmæ ramum; p. h. 15½ ass. 3 expll.

T.IV.N.189. 2. . . . . ÐRVS. Pone arcum, tres turres superantem, Sanctus, d. gladium, s. vexill. apparet; p. h. 15 ass.

3. Alius, sine inscr. sed dextr. scipionem crucigerum; p. h. 16 ass. T.IV.N.190.

4. Protome, d. gladium, s. vexill.; p. h. 14 ass. T.IV.N.191.

5. Alius, sed d. vexill. et s. clypeum et scipionem crucigerum; p. h. ass.

6. Protome, manu utraque caput gestans; p. h. 17 ass. T.IV.N.192.

Annotandum est, caput utrumque incusum s. concavum esse.

7. Pone murum cum porta protome, d. pedum episc. (?), s. scipionem crucig.; in porta caput bovis; p. h. 14½ ass. 2 expll. T.IV.N.193.

Mecklenburgicus esse videtur.

8. Sub arcu, tribus turribus ornato, protome, d. scipionem cum scapo transverso superne, s. scipionem crucigerum; p. h. 10 ass. 2 expll. T.IV.N.194.

9. Alius, sed sinistr. scipionem lilii instar formatum; p. h. 10 ass.

10. Inscriptionis reliquiæ. Sub arcu quatuor turribus ornato protome, gladium transversum ante pectus tenens; p. h. 16 ass. 2 expll. T.IV.N.195.

11. Sub arcu, quatuor turribus ornato, protome, manu utraque scipionem crucig.; p. h. 16½ ass. T.IV.N.196.

12. Caput in porta sub cruce et duabus turribus. Ex inscript. manent DL . . . GBV . .; p. h. 16½ ass. T.IV.N.197.

β. principes exhibentes.

1. Princeps adv. stans, d. gladium, s. clypeum et hastam; p. h. 9 ass. T.IV.N.198.

2. Alius, sed d. vexill., s. clypeum et scipionem crucigerum; p. h. 11 ass.

3. Princ. adv. stans, hastam transversam ante pectus tenens; sinistrorsum clypeus; p. h. 13½ ass. 2 expll. T.IV.N.199.

4. Princ. inter duas turres stans, d. gladium, s. vexill.; p. h. 13 ass. T.IV.N.200.

5. Alius, sed dextrorsum legitur DJ; p. h. 17 ass.

6. Alius minor, sed d. gladium et s. scipionem crucig.; p. h. 15 ass.

7. Alius, sed s. vexill. et dextrorsum clypeus turris loco; p. h. 15 ass.

8. Princ. inter duas turres sedens. (fract. et manc.) T.V.N.201.

9. ODDO. Protome, d. gladium, s. vexill.; p. h. 15½ ass. 3 expll. T.V.N.202.

T.V.N.203. 10. + ΩINOOINIDVH . HPDVON. Protome, d. gladium, s. vexill. et clypeum; p. h. 16 ass.

Attentione singulari dignus est et ob marginem ceteris depressiorem et ob characterem a ceteris diversum.

T.V.N.204. 11. + RVDOLF . . . . Protomæ duæ, inter quas infra turris, supra scipio cruciger. (fract. et manc.)

Inscriptio ex alius exempli fragmento apposita est.

T.V.N.205. 12. In porta, tribus turribus ornata, protome, d. gladium, s. vexill. Ex inscr. restant BЄRAN—BЄ.

γ. typos diversos exhibentes.

T.V.N.206. 1. Duo capita adv. formæ rudis, inter quæ crux inferne. Inscriptionis reliquiæ restant.

Hic bracteato haud dissimilis est, quem Bircherodius p. 62 Olao Famelico, Daniæ regi adscribit, quem vero Ramus Goslariæ numum et capita Simonis et Judæ apostolorum esse censet. Lithographi incuria numus inversus est.

T.V.N.207. 2. Leo super turrim saliens.

3. Leo stans, ante pectus crux.

Fragmentum adest, in quo superior leonis pars diversum latus intuenti advertens conspicitur. Hi tres brunsvicenses esse videntur.

T.V.N.208. 4. + ADOLFVS DЄ HVV . . VLVR. Intra portam, tribus turribus instructam, ædes conspicitur.

Est fortasse numus Adolphi III v. IV. Altenæ comitum.

T.V.N.209. 5. Ante arcem tribus turribus instructam scutum, magna cruce ornatum, ob oculos sistitur. 2 expll.

T.V.N.210. 6. + NƐDVNSTDVCICDVO ECNC. Arx cum tribus turribus et porta, in qua campana (?) conspicitur; p. h. 8 ass. 3 expll.

Hujus numi exemplum, minus integrum, in Blätter f. Münzk. Vol. III. T. VI. N. 122. delineatus est, et ibid. p. 270 Magadeburgicus esse declaratur.

7. + OICPIO . CIDVOEIC . NCIOIE. Typus fere similis, sed porta vacua; p. h. 11 ass.

8. In porta, tribus turribus instructa, clavis conspicitur; p. h. 8 ass. 2 expll. T.V. N.211.

9. Arx cum tribus turribus. Inscr. legi nequit. V. Blätter f. M. Vol. III. T. VI. N. 123.

10. Alius, sed turris media angustior. Inscr. legi nequit.

Cum numis ornamenta pauca argentea etiam reperta sunt, tres scilicet fibulæ, — V. T. V. N. 212. 213 et 214, — fibulæ majoris, leonis imaginem exhibentis, fragmenta duo, — ib. N. 217 — lamina quadrangula ansâ instructa, — ib. N. 215, — et globulus cavus quatuor crucibus ornatus — ib. N. 216. —

* * *

Hæc jam more præfato restat, ut collegii academici mandato Solennia indicam, quæ die XXVI Januarii ad natalem *Augustissimi Regis,* CAROLI JOANNIS, celebrandum ab Universitate nostra h. l. q. s. obeunda sunt; quo die Deus optimus maximus in longinquis meridionalium regionum plagis in lucem edidit virum, quem, triumphali laureæ bellica virtute in exteris terris partæ, pacis beneficiis inter duos populos boreales spargendis, civilem quercum intexturum destinaverat. Præsens enim miserorum auxiliator, munificus et liberalis bonarum artium patronus, omnis justi, honesti et boni amans et vindex jam diu duarum nationum admirationem et amorem sibi conciliavit et semper servavit. Die itaque, quo tam insigne duorum regnorum decus et præsidium in lucem primum prodiit, et qui toti populo igitur festus et carus est, ex læto omnium concentu vox Academiæ nostræ non sane aberit, sed omnium Norvegorum gratulationibus suas quoque immiscebit, quas interpretabitur *Jacobus Keyser*, physices et chemiæ professor doctissimus, quem igitur ad audiendum ut faventibus animis conveniant, quotquot sunt Regis, Patriæ et Academiæ amantes, officiose rogo.


1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
57.
58.
59.
60.
61.
62.


63.
64.
65.
66.
67.
68.
69.
70.
71.
72.
73.
74.
75.
76.
77.
78.
79.
80.
81.
82.
83.
84.
85.
86.
87.
88.
89.
90.
91.
92.
93.
94.
95.
96.
97.
98.
99.
100.
101.
102.
103.
104.
105.
106.
107.
108.
109.
110.
111.
112.
113.
114.
115.
116.
117.
118.
119.
120.
121.
122.
123.
124.
125.
126.
127.
128.
129.
130.
131.
132.
133.
134.


135.
136.
137.
138.
139.
140.
141.
142.
143.
144.
145.
146.
147.
148.
149.
150.
151.
152.
153.
154.
155.
156.
157.
158.
159.
160.
161.
162.
163.
164.
165.
166.
167.


168
169
170.
171
174
173
174
175.
176.
177.
178
179
180.
181.
182
183.
184
185
186
187.
188.
189
190.
191.
192.
193.
194.
195.
196.
197.
198.
199
200.

201.

202.

203.

204.

205.



206

207

208.



209.

210.

211

212



213.



214.

215.



216

217.



Lithographirt af C.L. Lahr. Christiania.